

www.e-rara.ch

**Vindex Veritas Annalivm Ecclesiasticorvm Eminentissimi Ac
Reverendissimi Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Cæsaris Baronij
Adversùs Arrogatum Joh. Henrici Ottij, Tigurini Examen Perpetvum**

Reding, Augustin

[Einsiedeln], Anno Christi M. DC. LXXX

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-68009>

Apparatus ad annales ecclesiasticos [...].

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



APPARATUS

A D

ANNALES ECCLESIASTICOS EX CARDINALE CÆSARE BARONIO.

DE ADVENTU FILII DEI.

§. I.

1.



Ecclesiam ab origine Mundi in Christo, cujus Adventus Divinitus præfinitus in DEI conspectu jam erat præfens, fundatam esse, indubitatum est, ut proinde Iustinus Martyr *Orat. ad Antonin.* merito dixerit, omnes nominandos esse Christianos, quotquot è Gentibus, licet Adventum Christi præcesserint, extiterant fideles. Christus enim, teste Divo Augustino *Lib. 10. Confess. c. 43.* demonstratus est antiquis quoque sanctis, ut ita ipsi per fidem futuræ passionis ejus, sicut nos per fidem præteritæ salvi fierent. Id depingit elegans ejusdem Sancti Doctoris similitudo. *de catechiz. rudid. cap. 19.* Ejus, inquit, Ecclesiæ membra erant etiam illi Sancti, quamvis in hac vita fuerint, antequam secundum carnem Christus Dominus nasceretur. Ipse enim unigenitus Dei Filius, Verbum Patris, æquale & coæternum Patri, per quod facta sunt omnia, homo propter nos factus est, ut totius Ecclesiæ, tanquam totius corporis, caput esset. Sed sicut totus homo, dum nascitur, etiam si manum in nascendo præmittat, tamen universo corpori sub capite conjuncta & compacta est: quemadmodum etiam nonnulli ex ipsis Patriarchis, ad hujus ipsius rei signum manu præmissâ nati sunt: ita omnes sancti, qui ante Domini nostri Iesu Christi Nativitatem in terris fuerunt, quamvis ante nati sunt, tamen universo Corpori, cujus ille caput est, sub capite cohaerunt.

2.

Nos autem, quamvis una sit ab initio mundi Christi Ecclesia, tamen superiora illa & antiquissima relinquentes, scriptis nostris ea tantum complectemur, quæ contigerunt, ex quo Christus, qui invenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel Dilecto suo, è cælo in terras est dilapsus, & post hæc visus est, & cum hominibus (ut ait *Baruch 3.* vates ille) conversatus est. *Op-Reding Appar. ad Annal. Eccles.*

portunum sanè tempus: defecerat enim (quod erat in sacris Oraculis *Genes. 49.*) de tribu Iuda & de domo David regium sceptrum, atque ducatus, non in Sedechia (quod Iulianus dicebat apud *Cyrril. Alexandrin. contra Iulian. lib. 3.*) sed in Assamonæis, postquam rerum summa apud Hebræos redacta est ad Herodem. Tribus enim Iuda in Babylonem, quod sciunt omnes Historiæ sacræ periti, in servitutem cum sanguine Regio fuit adducta: deinde post annos septuaginta in Palæstinam postliminio restituta: cum primum Iosepho *Antiquit. lib. 11. c. 3.* teste, eadem Provincia Iudæa dici cœpit; quique Hebræi, vel Israelitæ prius nominabantur, Iudæi deinde sunt appellati. Zerobabel enim, & qui post eum Iudæos gubernârunt (ut tradit *Cyrrillus lib. 8. contra Iulian.*) ex tribu Iuda, ex stirpe David omnes usque ad Herodem Idumæum fuerunt; quod & Hieronymus in *Soph. c. 1.* & in *Ezech. c. 21.* testatur, licet alibi aliquando aliter dixerit.

§. II.

Verùm enim verò non modò regnum, sed & legitima summi sacerdotij institutio per hæc tempora defecerat. E familia namque Assamonæorum fuit ad alios translatus; nam Hyrcanus *Ioseph Antiquit. lib. 15. c. 9.* quidem Pontifex Maximus ab eodem Herode necatus est; cui cum substituisset Aristobolum *idem cit. lib. 15. c. 5.* gentis ejusdem, mox & huic interfici iussit, & Ananelum quendam ignobilem Iudæum Babylone accersitum (quem, vivente adhuc Hyrcano, Pontificem delegerat, & paulò post gradu moverat) extulit rursus ad tantam dignitatem. Post hunc, nonnullos alios, nullâ habitâ divinarum legum ratione, vel quòd magnam pecuniarum vim loco pretij offerrent, vel quòd plurimum gratiâ apud ipsum possent, pro lubitu suffecit, atque dimovit. Sunt harum rerum testes locupletissimi Iosephus *Antiquit. lib. 20. c. 8.* Eusebius *Histor. lib. 1. c. 6.* Hieronymus in *Dan. c. 9.* & alij plerique. Nec his contentus Herodes, in-

3.

signe Ioseph. *Antiq. lib. 18. c. 7.* Pontificium nobilissimum, stolam scilicet sacerdotalem, ut sibi Ius omne, & Ornamentum summi Sacerdotij prorsus arrogaret, & in potestatem suam redigeret, in loco munitissimo custodiri iussit. Regno itaque ac sacerdotio Iudæorum collapsio & funditus everso, quid aliud restabat, nisi ut Sanctus Sanctorum ungeretur? Postremo, quod omnium maximum existimari debet: ipsa rectorum dogmatum sincera doctrina, plurimis undique erroribus erumpentibus, ferè penitus erat obscurata; ita ut Iudæi penè omnes altissimâ caligine involverentur, neque satis, quid verum foret, dignoscere, ac dijudicare possent.

4. In tam acerba rerum Iudaicarum iactura (quod prædixerat *Isaias cap. 17.*) sicut perpaucæ spicæ post mensam, vel post vindemiam esse solet racemus, aut duæ, vel tres, quæ post excussam oleam in summitate rami olivæ remanent; ita ferè cunctis in errorem adductis, vix exiguus numerus illorum remanserunt, qui sacramentum veræ Religionis, quod à sanctis Patriarchis ac Prophetis acceperant, retinerent, atque servarent. Pusillus planè Grex Iustorum Redemptionem Israel expectantium: inter quos ætate majores Simeon Iustus, Anna Vidua, Zacharias Sacerdos, Elisabeth eius conjux, & qui remanserant ex stirpe David, Ioseph, atque Maria, & si qui alij divinæ Legis cultores & amantes, in veritate perstarent, avidiusque illum cuperent, qui collapsum regnum, sacerdotium, atque legem ipse Rex, & Sacerdos, atque Legifer Emmanuel restitueret; & (quod olim *Isaias 37.* locutus) idem Dominus Iudex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster ipse salvaret nos.

5. Quod si lumen, quod in mundo erat, tenebræ factæ sunt (secundum *Matth. 6.* Evangelicam ad hanc rem accommodatam loquimur analogiam) ipsæ tenebræ quantæ erant? Si ipsa, inquam, Iudæa, ubi notus erat Deus *Psal. 75.* & Israel, ubi magnum nomen ejus, tantâ erat obvolutus caligine: quid putandum de Gentibus, quæ Deum ignorantes, in idolis pravos colebant dæmones? Talibus enim ducibus, iisdemque hostibus, quænam posset infelix homo bona capessere, vel mala vitare? Iam & collapsæ erant, quæ apud Gentes fuerant optimis legibus institutæ Respublicæ; & ipsa Romanorum, qui egregijs animi virtutibus sibi subegerant orbem, relicta illâ antiquâ rectè vivendi consuetudine, plus cæteris omnium vitiorum genera sectabatur, eisdemque velut cænofo gurgite obruta mergebatur; id enim scriptores eorum sapius exclamantes conquerebantur. Vnde & in hanc sententiam Augustinus *de Civit. Dei lib. 2. c. 19.* Ecce, inquit, Romana Respublica (quod non ego primus dico, sed Auctores eorum, unde hoc mercede didicimus, tantò ante dixerunt Christi Adventum) paulatim mutata, & ex pulcherrima, atque optima, pessima atque flagitiosissima facta est, &c. Quid memorem cæteras nationes? multiplicium Deorum in unaquaque provincia supersticiosissimum cultum, ferales Gentium ritus, portentosas populorum inolititas ubique consuetudines, tur-

pissimos hominum mores cuncta labefactantes, ipsaque naturæ jura violantes? Bene ergo, ac peropportuno tempore à Deo consultum est, ut unigenitum Filium, per quem cuncta creaverat, in mundum mitteret, ut omnia restauraret ac stabiliret, ipseque Via, Veritas, & Vita à recto tramite devios, fidei religione ac morum compositione revocaret ad viam; cunctosque per veritatem errores auferens, iter aperiret ad vitam.

6. Quapropter cum calitus ad salutem utriusque populi, Iudæi atque Gentilis, à Patre Filius mittendus esset in terram: quod totius humani generis reciperetur consensu, consilium Dei fuit, ut longè ante ejus adventum, tantæ rei Sacramentum Iudæis, atque Gentilibus innotesceret: illis quidem multifariam (quod ait Paulus *Heb. 1.*) multisque modis loquens Patribus in Prophetis, hæc prædixit, ac figuris adumbravit: Gentiles autem, quod à veritate veri cultus procul abessent, nec facile externæ Religionis hominibus admoveant aures, per suos ipsorum vates, de his, quæ ventura erant, voluit præmoneri. Erant hi *Lactant. lib. 1. c. 6.* Mercurius Trismegistus, Hydaspes, atque Sybillæ, sic dictæ à Dei consilij denunciandis, quasi *θεοβούλαι* decem numero, ut aiunt, omnes Virgines: quibus ob Virginitatis insigne meritum divinationem esse concessam, Hieronymus *contra Iovin. lib. 1.* existimavit; quam & ob causam eas appellare Patres *Theoph. Antioch. ad Autol. lib. 2.* consueverunt Prophetissas Gentilium; quibus & tantum tribuit Heraclitus *Clem. Alex. Strom. lib. 1.* ut eas non humanitas, sed divinitus apparuisse putarit,

J. III.

7. Venturus itaque in mundum Dei Filius, Verbum Patris, cujus generatio inenarrabilis *Isaiæ 53.* ex genere Abrahamæ, ex tribu Iudæ, & stirpe David (quod ante promiserat, ac sanctissimis Viris Deo dignis sapius revelaverat) ut ex dispositione divini consilij fuerat ordinatum, delegit humanam carnem assumere, & similis nobis per omnia, absque peccato homo fieri. Cujus genealogiam summam *Epiph. in compend.* potius, quam gradatim per continuatam successionum omnium seriè descripserunt Evangelistæ *Matthæus cap. 1.* & *Lucas cap. 3.* sed diverso ordine. Vnde Sanctus Augustinus in hanc sententiam hæc ait *de consensu Evang. lib. 2. c. 3. 4.* Ideo numerus generationum in Matthæo & Luca diversus est, quia uterque sub diversa Christi personâ diversam texit genealogiam. Matthæus quidem, quia Regiam in Christo Personam instituerat insinuare, naturales Christi ex Regibus Iudæorum generationes numerat. Lucas verò sacerdotalem in Christo Personam ostendere volens, generationes adoptionis Christi percurrit. Hæc ille pluribus; eadem ante ipsum Hilarius *Can. 1. in Evangel. Matth. & postea Iulianus Toletanus con. Iud. lib. 3.* & alij. Cujus rei illud est argumentum, quod Matthæus per Salomonem, Lucas vero per Nathan ejusdem Christi genealogiam describit; sicque admirabili quâdam consensione, utriusque Vnctionis mysterium, regni scilicet

ret ac sacerdotij, in una eademque Persona Christi, qui regnum acciperet, & Sacerdotium, ac Regale Sacerdotium institueret, simul jungerent.

8. Quod pertinet ad Davidicam stirpem; ex ea progenitam esse sanctissimam Dei Genitricem Mariam, apud omnes Catholicos in confesso est, id Prophetis *Isaias 9. Psal. 86. 131. Hier. 33. & alij. Angelis Matth. 1. Luc. 1. Evangelistis Matth. 1. Luc. 1. Matth. 22. Marci 12.* testantibus, id ipsum denique Iudæis impijs confitentibus. Cùm enim Christum secundum carnem esse Filium David, ipsumque ex Beatissimâ Deiparâ humanam carnem sumpsisse, omnes, quotquot unquam fuerunt Catholici, sint professi; planè & eandem ex Davidico stemmate esse progenitam, necesse est affirmare. Confirmant, stabiliuntque hâc etiam ratione hoc idem Evangelistæ, dum texentes Christi genealogiam, Ioseph Virum Mariæ e regiâ Davidis stirpe originem ducere demonstrant. Cùm certum, exploratumque habeatur, nec fœminæ alterius tribus virum, nec viro alterius tribus fœminam sibi matrimonio jungere licuisse, id jubente divinâ Scripturâ *Num. ult.* atque dicente: Nubant, quibus volunt, tantum ut suæ tribus hominibus; ne commisceatur possessio Filiorum Israel de tribu in tribum. Omnes enim viri ducent uxores de tribu & cognatione suâ: & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient, ut hæreditas permaneat in familijs, nec sibi misceantur tribus, sed ita maneat, ut à Deo separatae sunt. Hæc lex divina. Deducentes itaque Evangelistæ genus Ioseph ex David, perinde est, ac si ex eodem principio Mariæ profapiam derivarent. Sed cur non potius Mariæ, quàm Ioseph genealogias describerent: ea suppetit certa ratio, quod cùm genealogiæ describerentur in publicis chartis: virorum, & non mulierum series texebatur. Id cùm innumeri ferè Sanctorum Patrum afferrent, ex Iosepho *contra Apion. lib. 1.* Iudæo historico, in his quæ scripsit adversus Apionem, parvo negotio confirmatur, dum ait: Mittunt enim Hierosolymam conscribentes à patre nomen nuptæ, & antiquorum progenitorum, &c. Hæc ille de antiquis libris agens, in quibus genealogias conscriptas Hierosolymis summâ diligentiam asservabant. Atque de his satis, quæ ad progeniem David facere videbantur.

9. Iam autem quod ad stirpem Sacerdotalem attinet: communis est Sanctorum Patrum consensus, Dei genitricem Mariam eo genere natam; cognatione quoque tunc temporis conjunctam fuisse generi sacerdotali, liquet testificatione Lucae Evangelistæ, *cap. 1.* Angelo apud eum ita loquente Mariæ; Ecce Elisabeth cognata tua &c. Cujus verò stirpis illa esset, quæ cognata Mariæ dicitur, antea idem Evangelista declarat, cùm dicit; Vxor illius nempe Zachariæ de Filiabus Aaron. Ex quibus intelligas, admisceri solitam stirpem regiam cum genere sacerdotali. Nec est, quod quis obijciat de tribubus non miscendis ex divinâ lege superius recitatâ, nam primò dicimus, peculiariter sacerdotali tribui esse con-

Reding Apparatus ad Annal. Eccles.

cessum *Epiph. hæres. 78. & alij eum secuti.* ut cum regiâ stirpe posset inire nuptias: in exemplum adducentes Aaron *Exod. 6.* qui de Tribu Iuda Elisabeth Filiam Aminadab, sororem illius Naafon, qui tribus Iudæ tunc princeps & dux erat, accepit: addunt & de Ioada Pontifice maximo *2. Paral. 22.* qui Filiam Ioram Regis Iudæ, Sororem Ochoziæ, nomine Elisabeth, duxit in uxorem. His Patres omnes, qui hæc tractant, ne laboremus singulos enumerare, assentiuntur.

S. IV.

Iam cætera, quæ præcesserunt Christi Salvatoris adventum, ex instituto prosequamur, atque in primis de Dei Genitricis Parentibus, ejusdemque cœlo, terræque celeberrimo natali.

Satis sibi esse putârunt Evangelistæ, quod promissum Patribus antiquitus erat, Dei Filium unigenitum ex genere Abrahæ, ex tribu Iuda, progenie David, atque ex ipsâ sanctissimâ Virgine Mariâ, secundum inscrutabile divinum consilium, humanam assumpsisse sibi carnem, testatum relinquere, ad ipsius Christi facta, cujus causâ opus susceperant, enarranda, tantum intenti. Cæterum non adeò obscura remansit de Mariæ parentibus historia, quam tum scriptis, tum etiam traditionibus consignatam fuisse, auctor est Epiphanius *adversus Collyrid. hæres. 79.* dum ait: Tamen enim historia Mariæ, & traditiones habent, quod dictum est Patri ipsius Ioachim in deserto: Vxor tua concepit: tamen non quod sine conjugio hoc factum, neque sine semine viri &c. Porro integra ipsa historia excidisse videtur, ex eaque tantummodo hinc inde sparsa remansisse fragmenta: quæ etsi deessent, satis esse deberet pijs hominibus ipsa traditio, cujus idem meminit Epiphanius. Quod enim, inquit Augustinus *de Bapt. contra Donatis. lib. 4. c. 24.* universa tenet Ecclesia, nec Concilij institutum, sed semper retentum est; non nisi Apostolicâ autoritate traditum retissimè creditur. Quod igitur Orientalis, quod Occidentalis semper prædicavit Ecclesia, in dubium usque adeò revocare, summæ esse dementiæ, non est, qui non satis intelligat.

De Sancta Anna Dei Genitricis Matre, ejusque sororibus, earundemque Sobole, hæc Hippolytus Martyr *apud Niceph. lib. 2. c. 3.* tres fuere sorores Bethlehemiticæ, Filia Mathan sacerdotis, & Mariæ conjugis ejus, sub Cleopatæ & Casoparis Persæ regno ante Herodis Antipatris filij Regnum; Primæ Mariæ, secundæ Sobe, tertiæ Annæ, nomen erat. Nupsit prima in Bethlehem Maria, & peperit Salomen obstetricem: nupsit quoque secunda itidem in Bethlehem, Sobe, & genuit Elisabeth. Nupsit postremò & tercia Anna in terra Galilææ, & protulit Mariam Dei Genitricem, ex qua nobis natus est Christus, hæc Hippolytus. Ex his & alijs refellitur illorum sententia, qui dixerunt, Sanctam Annam tertio nuptam, & singulas ex singulis viris genuisse filias; vel eorum, qui conati sunt asserere, ex eodem viro Ioachim tres peperisse filias, nullâ aliâ adducti ratione, nisi quod in

A 2

Evan-

Evangelio *Ioan. 19.* mentio habeatur de eisdem Dei Genitricis sorore Maria Cleophae; eandemque putarunt progenitam Salome, cuius meminit Marcus *cap. 15.* sed cum de his alij aliter senserint, penes prudentem lectorem sit iudicium. Nam si, cum in divinis Scripturis sorores nominatas invenerint, velint hi germanas intelligere, in portentosos eos labi errores necesse est: cum apud Matthaeum *cap. 13.* & Marcum *cap. 6.* Christi sorores & fratres nominentur, dicentibus concivibus suis: Nonne & sorores ejus apud nos sunt? quas quidem nullus unquam Catholicus ex Deipara Virgine natus, ut horrendum nefas, vel cogitare praesumpserit. Porro Fratrum & Sororum nomine, saepe in divinis Scripturis cognatos & propinquos intelligi, apertissimum est, nec enim quis dixerit, esse mentitum Abraham, cum Saram uxorem Sororis nomine nuncupavit. Univiram vero fuisse Annam, nec post obduratam sterilitatem, ex voto conceptam, repromissione obtentam, susceptamque in senectute Filiam, alios novisse partus, tam veteres, quam recentiores Orthodoxi Patres sunt professi.

12. Testatur hoc Epiphanius, qui unus instar omnium nobis est: hic in luculenta oratione illa, quam habuit de laudibus Mariae Virginis *Tom. 7. Biblioth. sanct. à Mar. collect.* haec de ejus Parentibus atque natali; Hujus, ait, parentes fuerunt Ioachim & Anna, qui quidem in vita sua Deo placuerunt, atque etiam fructum hujusmodi germinarunt, Sanctam Virginem Mariam, templum simul & Matrem Dei. Ioachim porro, Anna, Maria, hi tres Trinitati palam sacrificium laudis offerebant. Ioachim enim interpretatur preparatio Domini, eo quod ex illo preparatum sit Templum Domini, nempe Virgo. Anna rursus similiter gratia interpretatur, propterea quod Ioachim & Anna gratiam acceperunt, ut accedentibus precibus, talem fructum germinarent; Sanctam Virginem adepti; Ioachim siquidem precabatur in monte, Anna in horto suo. Anna vero gravida effecta, Caelum & Thronum Cherubicum peperit sanctam Puellam Mariam. Illa enim reperitur esse caelum, Templum & Thronus; quia Mariam interpretari solemus Dominam &c. Plura id genus habet Ioannes Damascenus, Andreas Cretensis, Germanus Episcopus, & alij Recentiores.

S. V.

13. Si fidem adhibendam esse putamus Nicephoro *Hist. lib. 2. c. 3.* dum ex Evodio Episcopo Antiocheno Apostolorum successore fragmentum, quod recitat, se accepisse dicit ex ejus Epistola quadam, cui titulus, Lumen, inscribatur; per facile erit, annum natalis Dei Genitricis Fastis adscribere; quippe qui testetur, anno decimo quinto suae aetatis eam Christum Dominum peperisse. Reddam ipsa verba, quae Evodij esse dicit; Trimula, inquit, cum esset, in templum praesentata, ibi in Sanctis Sanctorum traduxit annos undecim; deinde vero sacerdotum manibus Ioseph ad custodiam est tradita; apud quem cum menses peregisset quatuor, ab Angelo laetum illud accepit nuncium. Peperit autem hujus mun-

di lucem, annum agens quindecimum, vigesima quinta die mensis Decembris. Haec Evodius apud Nicephorum.

Ex his igitur dicere necesse est, incidisse ¹⁴ sacratissimum diem natalem Dei Genitricis Mariae sub consulatu Furnij Nepotis, & Iunij Silani, anno ab Vrbe condita septingentesimo trigesimo septimo *secundum supput. Dionysij.* Augusti Imperat. à Triumviratu vigesimo sexto, Olympiade centesima nonagesima *secundum supput. Eusebij. aliter Ioseph.* anno tertio: nam Christum Dominum natum esse sub Consulatu Lentuli & Messalini, suo loco demonstrabimus. Ac subinde refelluntur *Mar. Scot. in Chron. & alij eum secuti.* qui post sequentem annum, sub Consulatu Livij & Pisonis eam ortam esse, tradunt: natam ferunt Nazareth, eandemque trimulam, quod parentes voverant, in templum allatam, ac Deo oblatam, undecim illic egisse annos, iidem, quos jam retulimus, auctores testantur, nimirum Evodius *apud Niceph. hist. lib. 2. c. 3.* Gregorius Nyssenus *Orat. de S. Christi nat.* Ioannes Damascenus *de Orthod. fid. c. 13.* Germanus Episcopus Constantinopolitanus *serm. de praesen.* Andreas Cretensis *serm. de S. Deipara.* Gregorius Episcopus Nicomediae *serm. de praesen. & alij.* Cedren. *in comp. hist. & alij recent. historici.* à quibus nullum Orthodoxorum dissensisse haecenus, sed Novatoribus tantum nostri temporis displicuisse, cognovimus.

Cum jam aetatis annum attigisset decimum ¹⁵ quintum, de maritando eam, inter sacerdotes initur consiliu. Qui enim Deo devoti erant homines, nubebant statuto tempore, ut de Samuele & ipso in templo oblato scimus contigisse; certum enim, exploratumque habetur, ipsum uxorem duxisse, ac liberos suscepisse. Deligitur in maritum Virginis vir justus Ioseph, ejus contribulis, ex stirpe David oriundus, sed opificio faber. Neque enim ad pecuniam, neque ad honores aspiceret, sed ad genus per antiquam lineam ductum, atque probatum, in contrahendis nuptiis penes Iudaeos fuisse consuetudinem, testatur Iosephus *contra Apionem lib. 1.* cum agit de Matrimonijs sacerdotum: ut non mireris, si viro fabrilis artis, sacerdotum consilio, quorum esset officium, de his quae Deo semel essent oblata, disponere, nuptui traditam audias. Sed haec cum agerent illi, divina tamen providentia mariti nomine fidissimus custos & testis Mariae Virginitatis integerrimus parabatur. Ream gestam iidem, qui supra citati, *Gregor. Nyssen. Orat. de sancta Christi nativ. & alij auctores* enarrant.

Sic autem desponsata Virgo parentibus ¹⁶ redditur, qui eam domum reducant, & quae ad futuras nuptias sunt necessaria, praeparant. Erant sponsalia ejusmodi apud Hebraeos non minoris momenti, quam ipse nuptiae, ut Auctor est Philo *Lib. de specialib. legib.* siquidem in solempni amicorum conventu mariti, uxorisque nomina scribebantur in tabulis; & si quid sponsa in domo paternam manens deliquisset, aequè plectebatur ac nupta, ut lapidibus obrueretur, si adulterij rea inventa esset. Quanam vero, cum interim Maria desponsata maneret, in

domo paternâ contigerint, Lucas Evangelista cap. i. recenset.

S. VI.

17. Sed antequam cætera prosequamur, aliquid de voto Virginitatis ab eadem Sanctissimâ Virgine Deo nuncupato, quod ad institutum spectare arbitremur, adferamus in medium. Cùm enim illa de futura prole concipiendâ accepto nuncio excipiat de sui corporis integritate, dicens: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? ne præter sententiam eam fuisse responsionem, & elusionem potius, quàm justâ exceptionem (quod omnino absit) dicere cogamur: eam de Virginitate servandâ votum emisisse, fateri necesse est. Quid enim? Ecce concipies, ait Angelus. Virum non cognosco, illa respondet. Nihil certè ad rem: nam post hæc cognoscere potuisset, ac concipere (quod dictum erat) in utero. Verùm enim verò quàm maximè opportunè, se non cognoscere virum, excepit: quòd impossibile existimaret, semel Deo devotâ virginitate, se virum aliquando cognituram; alioqui nullâ fuisset in ea admirandi, vel sciscitandi levis saltem occasio, quin promissis ab Angelo acquiesceret. In hanc sententiam Sanctus Augustinus, assertor nuncupati voti Virginitatis Mariæ, hæc ait: *Lib. de sanct. Virg. c. 4.* Ipsa quoque Virginitas ejus ideo gratior & acceptior; quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conservaret, ipse præripuit; sed priusquam conciperetur, jam Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit. Hoc indicant verba; quæ sibi fœtum annuncianti Angelo Maria reddidit. Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? quod profectò non diceret, nisi Deo Virginem se ante novisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa jam voverat. Quamquam, etiamsi hoc solum dixisset; quomodo fiet istud: nec addidisset; quoniam virum non cognosco, non quæsisset utique, promissum sibi Filium quomodo fœmina paritura esset, si concubitura nupsisset. Poterat & juberi Virgo permanere, in qua Dei Filius formam servi congruenti miraculo exciperet; sed exemplo sanctis futura Virginibus, ne putaretur sola Virgo esse debuisse, quæ prolem etiam sine concubitu concipere meruisset, Virginitatem Deo dicavit, cùm adhuc quid esset conceptura, nesciret: ut in terreno, mortalique corpore cælestis vitæ imitatio voto fieret, non præcepto, amore eligendi, non necessitate serviendi. Itaque Christus nascendo de virgine, quæ, antequam sciret, quis de illa esset nasciturus, virgo statuerat permanere: Virginitatem sanctam approbare maluit, quàm imperare, ac sic etiam in ea fœmina, in qua formam servi accepit, Virginitatem esse liberam voluit. Hæc Augustinus, Latinorum Ecclesiæ Doctorem facillè Princeps, quem & cæteri complures sunt secuti.

18. E Græcis nobilissimus Theologorum Gregorius Nyssenus *Orat. de Christi nativitate.* eadem constanter affirmat, cui cæteri Græco-

rum, qui de ea re egerunt, sunt adstipulati.

S. VII.

19. Quid autem non sine divino consilio de Virgine statutum esset, Gregorius Nyssenus *loc. cit.* his verbis recitat: Cùm puella crevisset, & adulta esset; sacerdotes consilium agitare, ne quid de sacro illo corpore statuentes in Deum peccarent, ceperunt. Nam subjugare eam legi naturæ, & addicere quasi servam, si quis eam in matrimonium duceret, res longè absurdissima, minimèque decora videbatur. Sacrilegum enim prorsus existimabatur, si homo jus ac potestatem in donarium, quod Deo consecratum, & dedicatum esset, haberet: quoniam legibus sancitum, & constitutum est, ut vir potestatem habeat in uxorem; ut autem intra templum unâ cum sacerdotibus mulier versaretur, & in sanctis conspiceretur, neque consultum, neque ustratum erat, & simul gravitas & honestas rei non aderat. Deliberantibus igitur eis super hac re, divinitus incidit consilium, ut darent eam cuidam viro nomine desponsationis, is autem ad custodiendam Virginitatem ejus esset idoneus. Inventus est igitur Ioseph talis, qualem ratio consilij requirebat, ex eadem cum Virgine familia & tribu: isque de consilio sacerdotum sibi puellam despondet; conjunctio autem non ultra sponsalia progrediebatur. Hæc Gregorius, quibus consentientia scripsit Epiphanius in *Panar. hæres. 78. adversus Antidico mar. & in Ancorato fusius.*

20. Fuit igitur de his aliorum magis probabilis ac recepta sententia, Ioseph non bigamum, nec aliud ante Sanctissimam Virginem inijisse conjugium; hujus fortissimus adstipulator, seu potius auctor Hieronymus adversus Helvidium infamem hæresiarcham pugnans *prope finem* hæc ait: Tu dicis, Mariam Virginem non permansisse: ego mihi plus vendico, etiam ipsum Ioseph Virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali conjugio Virgo Filius nasceretur. Si enim in virum sanctum fornicatio non cadit, & aliam eum uxorem habuisse, non scribitur, Mariæ autem, quam putatus est habuisse, Custos potius fuit, quàm maritus; relinquitur, eum Virginem mansisse cum Maria, qui Pater Domini meruit appellari. Hæc ille. In eandem sententiam etiam Augustinus *Scrm. 14. de Nativ. Dom.* Habe, inquit, Ioseph cum Maria conjuge tua communem Virginitatem membrorum: quia de Virginis membris virtus nascitur Angelorum. Sit Maria Sponsa Christi in carne suâ à Virginitate servatâ; sis autem & Tu Pater Christi, curâ castitatis, & honorificentia Virginitatis; ut de Virgineis membris Genitricis, sæculis Christianis nulla sit zelotypia: Idem & paulò post: Gaude itaque Ioseph, nimiumque congaude Virginitati Mariæ, qui solus meruisti virginalem affectum possidere conjugij, quia per meritum Virginitatis ita separatus es à concubitu uxoris, ut Pater dicaris Salvatoris. Consentit & his Theodoretus in *Epist. ad Gal. c. 1. in fine.* dum ait: Vocatur quidem Iacobus frater Domini, sed non erat naturâ, sed nec fuit Iosephi filius, ut quidam existimârunt, ex priori matrimonio natus, sed erat quidem

quidem Cleophæ filius, Domini enim consobrinus. Huic sententiæ ceteri omnes, *Beda, Albinus Flac. Bern. Ansel. Ruper. Tho. Gerson & alij recentiores, & Lipom. uberiùs in Schol. præpositâ hom. Chrysofomi de annunciat. Petrus Dam. Epist. 11. c. 4. ad Nicol. Rom. Pont. His similia Gers. serm. de nat. Mariæ.* qui postea vixerunt, Latinorum Orthodoxi Scriptores consenserunt; adeo ut Petrus Damiani suorum temporum scriptor nobilissimus, dicat magnâ fiduciâ, Ecclesiæ fidem in eo esse, ut non modo Deipara, verum etiam putativus pater, atque Nutritivus virgo habeatur. Certè quidem, quantum probabilibus conjecturis agere licet; quomodo non homini Virgini Deus Virginem, ex qua carnem suscepturus erat, tradidisset, si factus homo, ex hoc mundo migraturus ad Patrem, eandem etiam senescentem non nisi Virgini commendavit?

§. VIII.

21. His igitur de sancti Ioseph Sanctissimæ Virginis Sponsi virginitate stabilitis, jam reliquam de Verbi Incarnatione ex Evangelio Historiam prosequamur. Cælestis Nuntius *Luc. 1.* Gabriel Angelus, ut trepidantem Virginem magis magisque firmaret, sicque assensum ejus eliceret: quod non impossibile, ut ait, apud Deum omne Verbum, recens de Elisabeth ejus cognata exemplum, ad confirmandam tanti Sacramenti veritatem, adducens, ait: Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute suâ: & hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis. Hæc autem de conceptione Ioannis à Gabriele inculcata, quomodo se habuerint, idem divinus Historicus Lucas Evangelista perpetuæ Scripturæ monumentis commendavit. Nos autem rem vulgatam, omniumque ore versatam, superfluum ducimus hîc describere; satis esse putantes, ejusdem tempus insinuare secundum à nobis inferiùs initam rationem. Anno igitur ab Vrbe condita septingentesimo quinquagesimo, Coss. Sabino & Rufo, Olympiadis centesimæ quartæ anno primo, Augusti Imp. à Triumviratu inito anno trigesimo nono, octavo Kalendas octobris, post æquinoctium, solemnibus jejuniis tempore *Chrysof. in Luc. 1.* Ioannes Baptista est in utero materno conceptus; cum ejus Pater Zacharias Sacerdos de vice Abia, in templo adolens incensum, de ejusdem conceptione, Angelo admonente, divinum accepisset oraculum.

22. Satis superque apparet, Zachariam Sacerdotem solummodo, & non summum Pontificem extitisse: ne quis tamè remaneat dubitandi locus, ad eam rem confirmandam satis sufficere existimamus, quod Zacharias minimè adscriptus reperitur inter Summos Pontifices, qui illis vixere temporibus, quorum catalogus integer, & nulla ex parte corruptus hætenus extat, quem Iosephus *Antiq. lib. 20. c. 8. & de Bello Jud. lib. 1. & seq. sparsim. Collegit eos Niceph. hist. lib. 2. c. 1. 4. & Niceph. Episc. Constantinop. in Chron.* exactè contexit unâ cum Historiis Iudæorum, habitâque cujusque successione ratione, anno, quo hæc contigerunt Zachariæ, Mathias Theophili Pontificatum gessisse reperitur, qui Simoni successit. Ab Aaron quidem

usque ad Phani, qui intrusus est à Zelotis, tempore Vespasiani Augusti ad duorum millium annorum spatium servatas esse inviolatas, publicisque monumentis consignatas successiones Iudæorum Pontificum, idem Iosephus *adversus Apionem Lib. 2.* agens, apertissimè tradit, dum ait: Indicium verò integritatis hoc maximum est, quia Pontifices apud nos à duobus millibus annis denominati Filij à Patre conscripti sunt &c. Porro easdem tabulas ex antiquis litteris novas saepe esse restitutas, & exemplaribus auctas, restatur; adeo ut nec tempore cujusvis cladis acceptæ, eadem successiones aliquo modo deperdi potuerint. Hætenus de Zachariæ inferioris ordinis Sacerdotio, quo quidem magis illustratur, quàm summo Pontificatu, quippe qui his temporibus ab Herode contra jus facte ex animi sententia in immeritos conferri consuevisset: præstatque magis, Zachariam Dei sacerdotem, quàm arbitrio Herodis Pontificem dici.

§. IX.

Iam verò unde digressa est, ad Gabrielis 23. nuntium de sublimi ac per omnia inscrutabili Verbi Incarnationis Mysterio, revertatur oratio. Cum ille omnia non humanitus, sed divinitus esse perficienda, Sanctissimam Virginem monuisset, ac exemplo cognatæ sterilis Elisabeth eandem certiore reddidisset, ac firmasset: illa haud cunctata, mirâ animi submissione præbens suæ voluntatis assensum, hæc ait *Luc. 1.* Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum. Moxque sic dilapsum est Verbum in uterum Virginis, ut ex ea carnem assumens, quod semper fuisset, esse non desineret, unitaque sibi indivisè & inconfusè humanæ naturæ substantiâ, in unâ eademque Personâ ex duabus naturis unus Christus, idemque perfectus Deus, atque perfectus homo in utero Virginis formaretur. Novum planè miraculum, atque inusitatum, ut (quod olim prædixerat Hieremias *cap. 31.*) mulier circumdaret virum: siquidem uno, eodemque momento conceptus est Christus perfectus Deus & Homo. Contigerunt hæc Coss. Cornelio Lentulo & Valerio Maffelino, Augusti Imp. anno ab inito per menses ferè quatuor Triumviratu, quadragesimo, octavo Kalend. Aprilis, eadem die, quâ primus homo formatus est Adam.

24. His peractis, Sanctissima Virgo exurgens *Luc. 1.* abiit in montana cum festinatione in civitatem Iuda, & intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth. Nemo, quantumvis sibi videatur sapiens, instar Iuliani, atque Porphyrij, divinum Historicum Sanctum Lucam Evangelistam redarguat oscitantia, quod nomen civitatis, quam incolebat Zacharias, ad quam sanctissima Virgo festinans accessit, non exprimat; nam satis expressit, dum civitatem Iuda in montanis positam, ibique Zachariâ habitare scribit: sicque ob causam civitatem sacerdotalè fuisse demonstrans; quænam esset, cum de nulla alia ambiguitas possit oriri, antonomasticè signat. Sed ut hæc clariora reddantur, altiùs necesse est, historiæ principium petamus. Divisit ex instituto Moy-
sis Io-

sis Iosue *cap. 21.* tribui Leviticæ filijs Aaron quadraginta octo civitates ad habitandum, easdemque non simul positas, sed quod à cæteris tribubus essent acceptæ è diversis Palæstina locis, ubi singulæ degerent, ab invicem longioribus interdum spatijs separatas. Cùm itaque easdem civitates sortirentur; prima, quæ egressa est sorte, data est familiæ Caath Levitici generis ex filijs Aaron, civitas è tribu Iuda, quæ Cariatharbe, aliter verò Hebron, sive Chebron est nominata, posita (ut eadem divina Scriptura testatur) in monte Iuda, in qua quidem regione nulla alia erat Civitas sacerdotalis.

§. X.

25. Reliquum jam illud tantum esset, ut tempus, quo à Quirino descriptio facta est, & natus est Christus, more majorum, Hebraicis etiam Chronologijs etiam consignemus. Scimus, veterrimam hanc esse quæstionem, in qua sudarint & alserint tum antiquorum, tum recentiorum ingenia; novissimè verò, Christum natum esse quatermillesimo vigesimo secundo anno ab origine mundi, noster Pererius in *Daniel. lib. 11. q. 5.* in suis eruditissimis Commentarijs in Daniele adnotavit. Cæterum ob diversitatem exemplarium, & quod non eandem omnes in illis numerandis servent methodum & rationem; mirum dictum, quod quot sunt capita (ut communi fertur proverbio) totidem de iisdem scripturæ reperiantur sententiæ. Sedere autem arbitrum, & cuius sint potiora jura, disquirere, & antiquissimam omnium quæstionem latâ sententiâ definire, non est præsentis otij, nec nostrarum virium tantum opus. Illud tamen non omnino prætermittendum videtur, Sanctam Dei Ecclesiam antiquitus consuevisse supputare annos ab origine mundi, non secundum Hebraicam editionem, sed secundum Septuaginta duos interpretes: est ejus rei fides apud S. Augustinum de *Civit. Dei lib. 15. cap. 11.* dum de iisdem interpretibus hæc ait: Porro illos in auctoritatem celebriorem suscepit Ecclesia, & credentes Iudæorum potius, quam istos non habere, quod verum est. Rursum Iulianus Episcopus Toleranus *contra Iud. lib. 3.* falsò cognominatus Pomerius, hæc in eandem sententiam. Ergo, inquit, illa nobis & sola pro his annis est observanda auctoritas Septuaginta interpretum, quæ merito omnibus editionibus, & translationibus antefertur, quam etiam hucusque omnes Doctores Ecclesiastici tenuerunt, & in hac præcipuè annorum supputatione secuti sunt: hæc ille. Adijcimus & Græci hominis insigniter eruditi de eadem re testimonium, videlicet Athanasij Sinaitæ Episcopi Antiocheni in *Hexam. lib. 7.* æqualis magno nostro Gregorio, qui sic ait: Sciendum est, quod aliter computant Hebræi, & aliter Romanæ Ecclesiæ traditio; hæc ille.

26. Addamus & hinc aptè catalogum antiquorum Patrum, qui licet diversè inter se, ob diversitatem Græcorum codicum & interpretationem, tamen æquè omnes secundum Septuaginta interpretes, annos ab origine mundi, usque ad ortum Christi numerare consueverunt. Incipiam ab antiquiori; ab ipso, inquam, Theophilo Episcopo Antiocheno, qui à mun-

di principio, usque ad obitum Lucij Veri, quo tempore ipse sedit, intercurrisse ait annos quinquies mille sexcentos, octoginta quinque. Eandem inijsse rationem Cyprianus in *præf. de exhort. mart.* videtur, cùm numerat annos secundum eosdem Septuaginta interpretes, atque hæc ait: Sex millia annorum sanè complentur, ex quo hominem diabolus impugnat &c. Clemens Alexandrinus *Strom. lib. 1.* ab Adam usque ad mortem Commodi annos numerat quinquies mille septingentos octoginta quatuor. Sed quid tamdiu in singulis immoror? Hippolytus in *cau. temp.* Iulius Africanus ad *Arist.* Origenes in *Mat. tract. 29.* Eusebius Pamphili in *Chron. & in frag. ad Marin.* Lactantius *lib. 7. c. 25.* Epiphanius *heres. 66.* Hieronymus in *Epist. ad Tit. c. 1.* Philastrius *Hist. de heres. c. 112.* Orosius *lib. 1. c. 1.* Augustinus de *Civit. Dei lib. 12. c. 12.* duo Anastasij, Sinaita in *Hexam. lib. 7.* & Nicænus *lib. quæst. 92.* Nicephorus in *Chron.* Suidas in *Hist.* & alij recentiores complures eadem numeri ratione consignare consueverunt Acta Synodica; cujus rei exemplum est in sexta Synodo Oecumenica, ubi à mundi origine usque ad illud tempus celebrati Concilij, anni numerantur sex mille centum nonaginta novem. Profitetur & Romana Ecclesia in suo Martyrologio, se annos supputare secundum eosdem interpretes.

§. XI.

His igitur, quæ ad annum natalis Domini pertinent, stabilitis; superest, ut de mense ac die, quibus natus est, narrationem instituentes, in primis quæ de ea re ab Hæreticis, vel alijs perperam scripta sunt, refellentes, tandem veritatem ipsam, Patrum autoritate testatam, & Catholicæ Ecclesiæ longo usu receptam, atque probatam in medium adducamus. Sunt (inquit Clemens Alexandrinus *Strom. lib. 1.*) qui curiosius Natali Domini non solum annum, sed etiam diem addunt: quem quidem dicunt decimo octavo Augusti, vigesimâ quintâ mensis Pacon esse natum; ea est apud Latinos decima quinta mensis Maij. Rursum etiam quidam, inquit, tradunt, eum natum esse vigesimâ quartâ, vel vigesimâ quintâ mensis Pharnuthi, hoc est, vigesimâ, vel vigesimâ primâ Aprilis. Porro hæc Hæretici phanaticè, nullâ vel saltem verisimili ratione, vel autoritate nixi, sed sicut & alia deliramenta ex propria animi sententia, perciti furore protulere. Fuit de eadem re Ægyptiorum, eorundemque Orthodoxorum opinio, ut existimarent, Christum Dominum natum undecimâ mensis Tybi, quæ est apud Latinos sexta dies Ianuarij, quâ Epiphaniam Domini Ecclesia celebrare consuevit *Cassian. collat. 10 cap. 1. ex præf. Pasch. epist. Theoph. Episc. Alexandr.* cùm illi utrumque Mysterium eodem die peractum volunt, nimirum Christum natum, ac etiam baptizatum, sed & eadem die illud insigne miraculum, vinum ex aquâ factum esse, Epiphanius *heres. 51.* auctor est, licet ipse Baptismum ad aliud tempus referat: at de eo pluribus suo loco. Quod autem ad dictam de natali Dei sententiam pertinet, idem Epiphanius *ibid.* eandem constanter affirmat, sed Hieronymus in *Ezech. cap. 1.* refellit.

27.

28. Cæterum his omnibus de die Natalis Domini rejectis assertionibus, tam Latinorum, quam Græcorum Ecclesiæ pari consensione in eam conveniunt sententiam, ut Redemptor noster sit natus vigesimâ quintâ mensis Decembris. Nam præter ea, quæ habentur apud Clementem *Constit. lib. 5. c. 13.* Augustinus *Tract. in Psal. 132. prope fin. Oros. lib. 7. c. 2.* ex traditione Ecclesiæ idem affirmat, dum ait: Ioannes natus est, sicut tradit Ecclesia, octavo Kalend. Iulias, cum jam incipiunt minui dies; Dominus autem natus octavo Kalend. Ianuarias, quando jam incipiunt dies crescere. Et alibi Aug. *de Trin. lib. 4. cap. 4.* octavo, inquit, Kalend. Aprilis conceptus creditur, quo & passus: natus autem traditur octavo Kalend. Ianuarias. Ab illo ergo die ad istum usque computati ducenti septuaginta & sex dies reperiuntur &c. Hæc Augustinus, eadem & cæteri Latinorum. De Græcis verò; non alia sentire eos, Anastasius Nicænus Episcopus *Lib. quest. 9. 92.* Græcorumque Menologium, & alia ipsorum antiqua monumenta fidem faciunt.

29. At nec est prætermittendum de hebdomadis die, atque (quod majus est) hora, quibus natus est Christus Dominus, dicere. Fuit nonnullorum sententia, ut eadem die, ipsaque horâ, quâ primus homo creatus est, eadem omnino & secundus homo (sic enim Christum appellat Apostolus *1. Cor. 15.*) fuerit natus. Hinc ait Hefychius *serm. de natal. Dom. natus est mense Decembris, die sexto, horâ tertiâ diei.* Hæc ille. Anastasius Sinaita in *Hexam. lib. 7.* eadem die, sed ad vesperam diei sextæ, & Anastasius Nicænus *Lib. quest. 9. 92.* eadem, sed horâ diei septimâ. Verum quod ad diem spectat: die dominico natum esse Dominum, in sexta Synodo Græci profitentur, dum ajunt *cap. 8. tom. 3. Concil.* In eo die manna in eremo pluit, in eo nasci dignatus est, in eo stella Magis refulsit, in eo de quinque panibus & duobus piscibus quinque millia hominum pavit, in eo Baptismum in Iordane suscepit: in eo ipse pius Redemptor humani generis sponte pro salute nostra à mortuis surrexit. Hæc illi.

30. Quod autem pertinet ad ejus diei tempus; Dominum nostrum nocte esse natum, Lucas Evangelista *cap. 2.* non obscure insinuare videtur, dum de Natali Christi locutus, mox subdit; Pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Id ipsum profitentur interpretes, id etiam vetus traditio Ecclesiastica persuadet, atque sacræ noctis illius anniversarijs functionibus docet: *Albinus Flac. de div. offic. c. 1. & alij.* rursumque eâ parte noctis, quæ de media nocte dicta, ad sequentem pertinet diem, Christum Dominum natum, multi existimant, secundum quod prophetice *Sap. 18.* dictum fuerat; dum quietum silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus exiliens è cælo, è regalibus sedibus venit.

S. XII.

31. Iam reliquum est, ut omnia, quæ dicta sunt, contrahentes in unum, dicamus, Redempto-

rem nostrum Dominum Iesum Christum ob salutem humani generis natum esse vigesimâ quintâ Decembris, C. Cornelio Lentulo, & M. Valerio Messalino Coss. Augusti Imperatoris ab inito Triumviratu, quadragesimo primo, à nece Cæsaris quadragesimo secundo, Herodis Regis anno vigesimo nono inchoato, ab Urbe condita septingentesimo primo, Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ anno secundo. Quæ autem in ejus Natali contigerint, jam aggredimur enarrare. Hisitaque de Adventu Domini pertractatis, atque discussis, ad ipsos Annales Ecclesiasticos percensendos commodior patefactus est aditus, ut jam è scopulosis & confragosis locis enavigasse videatur oratio. Cui ad immensum pelagus superandum pandenti vela, ipsa Dei Genitrix, cujus divinum Puerperium ipso ingressu enarrandum occurrit, divini Numinis conciliatrix semper assistat.

Ejusdem Apparatus Baroniani
Examen ab Ottio Tigurino
arrogatum.

S. I.

Consules Romani erant Cæsar Augustus XIII. & M. Plautius Silanus, alias Silvanus: at horum proximos antecessores ponunt alij, nempe L. Cornelium Lentulum & M. Valerium Messalium. Natus autem Servator noster anno urbis conditæ 752. In diversa verò abeunt Chronologi, dum Veteris Testamenti calculum subducunt. Numerant Thalmudici annos 3784. Rabbini recentes 3760. Iosephus 4102. Methodorus 5000. Eusebius 5990. Theophilus 5476. Hieron. 3941. Augustinus 5351. Isidorus 5210. Beda 3952. Alphonsus 5984. Picus cum Tigurinis 3970. Calvisius 3947. Gênebrardus 4090. Hornius in Sleid. præcisè 4000. annos statuit ad natum Christum: insuper usitatam nostram N. T. supputationem 4. annis deficere à vero calculo. Verum missis his ad N. T. discussionem properamus. Et Fœderis utriusque, & illustrium tractatorum Ecclesiasticorum exemplo patet, haud inutili labore Religionis, quæ vera, quæ falsa, ejusque administrationis faciem, quæ quibusque temporibus magis, vel minus conspicua fuit, ob oculos poni & in apricum produci. Abundè quidem hoc à varijs, at diverso, à nonnullis etiam sinistro scopo & successu præstitum: hoc loco Almi Spiritus gratiâ & aurâ afflante, eâ tractabuntur præcipuè, quæ Reformatam inter & Latinam Ecclesiam, cum maxime circa potestatem, regimèque Ecclesiasticum controvertuntur, vel aliàs haud irrationalia & absurda videbuntur. Dum autem Cardinalis Baronij, sive Epitomatoris ipsius Spondani seriem & computum, non absque gravibus causis sequor, nemo mirabitur, vitiòque id mihi dabit, quandoquidem non de his dicam scribere, nî cogat ipsa necessitas, nec temporum aucupari momenta, sed res ponderare institui: idque eò magis, quia tantopere discrepare sententias etiam literatissimorum, & in hoc genere studij versatissimorum, quia etiam Novi Testamenti supputandi rationes occurrere penè innumeras, etiam quod res N. Test. spectat, nemo est qui ignoret. Vel unum isthoc testimonium pro exemplo cape, quòd Tomo I. Conciliorum edit. Venetæ Collector profi-

retur, dum ait: Annum, quo creati Pontifices, & habita Concilia sunt, ex Onuphrij Chronico Ecclesiastico, & ejusdem epitome Pontificum adscriptimus: quanquam non ignoramus, quam lubrica & incerta sit exquisita annorum observatio: & aliquot Conciliorum certum annum vix iniri posse, putamus. Si fides penes ipsum sit, qui singulis certum annum adscripsit. Si adhuc dubites, ad Damasum seu Anastasium, Platinam & similes, qui vitas Rom. Episcoporum descripsere, te ablego, ubi infinitas ac indefinitas simultates, atque dissensiones offendes, unde nunquam te extricabis. Atqui usque ad Dionysium Scytham, cognomento Exiguum, Abbatem Rom. hoc est ad annum 527. vel 542. & ultra longè res tam sacræ, quam profanæ juxta sedes partim Imperatorum, partim Rom. Episcoporum, vel simili modo fuerunt consignatæ. Ita ergo gesta & successiones Imperatorum longè certiores, quam vel Episcoporum Rom. vel acta B. Martyrum, & res serè cæteras habebis.

S. II.

Vetus Test. typum fuisse in omnibus venturi Messie, ejusque apparituri ob signationem, apud cunctos fideles in confesso est; hinc expletionem seu complementum rectè dixeris, & corpus umbræ oppositum. Unde quemadmodum Christo morienti, sic & nascenti nihil omnino extra oracula, nihil sine manu & consilio Dei accidit. Vt autem unus Deus, unusque Mediator, ita una non nisi fides, quæ in Dei cooptamur Filios, quæ vivificamur, justificamur, purificamur, regeneramur, sanctificamur; quæ animarum obtinemus salutem, adeoque Diabolo & impijs, atque seductoribus resistimus, ac de illis triumphamus. Quare rectè Christus, in quem ceu apicem & fundamentum unicum vera fides dirigitur, à Persona Immanuel dicitur: à divina Natura Dei Filius, sermo, Ichova, Adonai, El, Deus, Deus magnus, Dominus Fortis, Æternitatis Pater; ab humana Natura homo, semen Abraham, Davidis germen, Filius Mariæ, Caro & sanguis noster, semen promissum; à munere Iesus, Christus, Rex, Propheta, Sacerdos, Mediator, vocatur.

S. III.

Novum igitur Testamentum exorsuris, ea ante omnia, quæ Circumcisionem Domini nostri Iesu Christi præcesserunt, degustanda erunt. Ex his primum incidit desponsatio B. Mariæ Deiparæ cum Iosepho, quod non sine causa idè factum ajunt, ut Christus tutorem, custodem & nutritium, Maria autem ductorem & socium fugæ haberent: ut consuleretur etiam famæ & vitæ B. Virginis: denique ut genealogia Mariæ non modò per patrem, quod à Luca præstitum, sed etiam per sponsum, quod factum à Matthæo, deduci posset. Porro Iosephi festum die 19. Martij celebre. Sed & B. Virginis diversæ celebritates apud Mariolatras in usu. 1. Conceptio illius ad diem 8. Decembr. nimirum ut immaculatam fuisse probent, ad quod Hospinianus ad dictam diem, alijsque respondent. 2. Nativitas: ad diem 8. Sept. ubi nota Erasmus, Sixt. Senensem, Melch. Canum, Baronium, librum de Nativitate B. Virginis falsò tribui Hieronymo, statuere. quibus malè se opponit Christophorus à Castro Iesuita. 3. Presentatio Mariæ die 21. Nov. 4. Dormitio & assumptio Dei Genitricis: die 15. & 23. August. Singula hæc festa novitia esse, & ipso etiam Martyrum cultu recentiora docti, demonstrant,

& ex ipsius Bellarmini l. 3. c. 16. de cultu Sanctorum comprobant. Par est ratio cum varijs Mariæ lipsanis, veteribus ignotissimis: de capillis & lacte illius vid. Hospin. de Templ. pag. 125. de Camisio: ib. 139. Imò universus muliebris mundus inter pretiosam suppellectilem relatus, interulæ, peppla, cingula, pectines, crepidæ, calcei, annuli, Iosephi mariti ejus etiam caligæ: huc etiam spectat Lauretana domus, quæ omnia non nisi serò in scenam fuere producta, adi Epiph. & August. de Collyridianis. Commemoratio septem dolorum Mariæ, à Georgio Hallero Monacho instituta circa an. 1545. celebratur die 23. April. Visitationis festum 20 Julij. Mariæ ad Nives: 5. Augusti. S. Mariæ de Victoria commemoratio: ad 7. Octob. Hisce autem omnibus quid sibi velint adversarij, satis luculenter ubique ostendunt, & apertè declarant. Inde Sixtus IV. P. in decreto de festo Conceptionis Mariæ: Mariam vocat viam misericordiæ, matrem gratiæ, pietatis amicam, humani generis consolatricem, pro salute fidelium, qui delictorum onere gravantur, sedulam oratricem. Et Stephanus Episc. Patracensis in Concilio Laterano sub Leone X. Angelorum Dominam, fontem omnium gratiarum, quæ omnes hærefes interimat, sola Virgo astris dominetur, sola terræ, marisque, atque cæli lumen. Sergius P. juxta Sigebertum, instituit, ut Litanis à S. Hadriano quotannis dicantur per urbem die Annunciationis, Purificationis, Nativitatis & Assumptionis Mariæ. Sic peregrinationes, rosaria, fraternitates in ejusdem honorem instituerunt. Ecceubi verò Bonæ hujus Matris statuæ, imagines, sacella, & sexcenta alia non prostant? Henricus Canisius Mariam Ottingensem, Horatius Tursellinus Lauretanam, Thomas VVeissius Cellensem, Iustus Lipsius Aspricollem & Hallensem descripsere, ubi legas solo Mariæ nomine invocato, & votis prolati cultu, sanatos esse cæcos, claudos, obsessos, epilepticos, herniosos, hydropicos, amentes, mutos, paralyticos: in vitam hanc revocatos defunctos, servatos à periculo naufragos, parturientes, peste correptos: donatos prole steriles, &c. Omnia exsecutus Guilielm. Gumpelberg in Atlante Mariano, ubi de miraculis plus quam ducentarum imaginum Mariæ, impr. Monachij 1674. Imaginis B. Mariæ consecratio quomodo fiat, vid. Hospin. de Templ. Vise simul Nicol. de Antichristo, c. 8. à pag. 114. item Rivet. in Catholico Orthodoxo, pag. 23. in Collyridianis & Petro Gnaphæo. XII. veterum Deorum Gentilium Tempia jam Romæ sola Maria sibi dedit: cata habet. Confer Triumphum Marianum, item Biblia & Psalterium Marianum; Angelicum pro Concilio Ephesino à pag. 653. Draudij Bibliothecam in voce. Neque verò in hoc acquiescunt, sed & Parentum B. Mariæ festa agunt; utpote Iochimi ad diem 20. Martij: & Annæ ad diem 26. Jul. His opponatur veteris Anglosaxonice Ecclesiæ fides, de qua VVhelocus in hist. Eccles. Bedæ l. 5. c. 20. pag. 448. ita in festo Annunc. Mariæ: Revera omnes homines, sicut dixit Propheta, in iniquitate sunt concepti, & in peccatis procreati: Verùm Salvator noster solus absque iniquitate conceptus, & absque peccatis procreatus. Idem pag. 313. ex ejusdem Ecclesiæ professione probat, Mariam & reliquos Beatos generaliter saltè pro Ecclesia militante, & per sola Christi merita intercedere. Ita pag. 449. Non Mariæ, sed soli Christo omnem salutem ex asse, & solido adscribunt idem fideles: sic pag. 450. in solius nomine Iesu precantur.

S. IV.

Annunciatio Iohannis Baptistæ nunc sese offert, de qua Luc. 1. 13. Mense autem sexto ante conceptus, quàm Dominus ipse conciperetur. Ab hac verò conceptione Lucas orditur Evangelium suum, quia ex adventu Iohannis, qui Messiaë præcursor à Prophetis est prædictus, ipsius Christi adventus erat comprobandus. Hanc autem historiam Annunciatio Conceptionis Christi facta ab eodem Angelo Gabriele Mariæ excipit: cuius memoria die 22. Martij celebris, olim autem in Hispania die 18. Dec. In quàm turpem autem abusum, & sensum prorsus alienum converterint Salutationem Angelicam, vel unū hoc doceat, quòd gratiâ affecta, i.e. grata facta, v. 30. & 42. Lucæ c. 1. per plenam gratiâ, seu gratiosam reddant. Additamentum Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis, in Concilio Ephesino inventum anno 431. Baronius non probat, sed fingit. Rosarium ne primo quidem millennario in rerum natura extitisse apud Bzov. ad an. 1213. S. 10. item ad an. 1473. S. 22 videbis. Sic olim à Patrinis, id est, baptizandorum sponsoribus requirebatur non nisi cognitio Symboli Apostolici & Orationis Dominicæ, at longè secus posteris temporibus. Quæ oratio Caroli Magni ævo obtinuerit, ipse nos in Capitularis l. 5. c. 95. docet, dum ita præcipit: Symbolum, quod est signaculum fidei, & Orationem Dominicam discere semper admoneant sacerdotes populum Christianum. Et cap. 143. ut laici symbolum, & Orationem Dominicam pleniter ediscant &c.

Non autem Conceptio à Spiritu S. facit pro hæreticis veteribus, qui putârunt, Christum genitum ex substantia Spiritûs S. adeoque Spiritum S. Christi Patrem esse dicendum; nec pro Anabaptistis contententibus, Christum carnem suam è cælo attulisse, & per Virginis uterum, velut per canalem quendam traduxisse: quandoquidem non substantia Spiritûs S. sed divina ejus operatio, virtus & potentia intelligitur. Quòd verò de eventûs veritate dubitavit Maria, in eo ex infirmitate humana peccasse deprehenditur, non secus atque Zacharias, ob quod etiam reprehensus & punitus fuit. Neque respondent quicquam, cum insigni commento regerunt, meritò dubitasse Mariam, quia cælibatum roverit Domino: at in usu non erant ejusmodi vota in Vet. Test. quin potius matrimonia commendata: neque hoc præterdit B. Virgo, sed quia virum non cognoverit. Quòd si cælibatûs votum suscepisset, quomodo ex Legendis obrudunt, Mariam trimulam in Templo præsentatam, ibi in Sanctis Sanctorum, XI. traduxisse annos, deinde Sacerdotum manibus Iosepho desponsam, domum ad parentes missam, usque ad futuras nuptias.

S. V.

Maria accepto nuncio Angelico festinanter abijt in loca montana, de hoc divino opere edoctrina cognatam suam Elisabetham, quam memoriam Iulij 2. celebrant. Elisabethæ autem & Zachariæ festum ad 5. Nov. Malè Ambrosius Zachariam hunc Pontificem Max. fuisse dicit, idèmq; Augustinus & Chrysostomus tradunt: id quod Bar. in Appar. S. 69. meritò refellit. Nativitatis Iohannis Bapt. die 24. Iunij agitatur. Ipsius Domini & Servatoris Conceptionem obscure à Baronio S. 76. indicari, nec etiam certò diem, constare docet Casaubo-

nus, id quod non minus temporis, quo editus in lucem Christus, ignoratio manifestum mox faciet.

Præacti Apparatus à Baronio concinnati vindex veritas adversus præsumptuosum Ottij Examen.

Quæ Cardinalis Baronius in dicto Apparatu solidè discussit, in plerisque ne apice quidem tangit Ottius. Quos verò in S. 2. 3. & 4. sectæ suæ errores simplicioribus inspergere nititur, eos hîc paucis aperire, & confutare operæpretium est visum.

S. I.

Quemadmodum igitur Ottio meritò assentimur, non esse nisi unam veram Fidem, ita æquivocationem spiritui Lutherano-Calvinistico familiarem ab illo prolatam haud prætereundam ducimus, dum enim ait, *fide nos cooptari in filios Dei, vivificari, justificari, sanctificari, & salvari*; ex ejus spiritûs sensu vel ita est sermo de fide per charitatem formatâ, ut veram tamen ac Theologicam fidem neget ab hac separabilem, vel si vera fides à Charitate possit divelli, justificationem soli fidei adscribat, quinimò fidem ejusmodi in fiducia Dei misericordiam ex Christi meritis justificatricem apprehendente, itaque Christi justitiam imputatam applicante absque justificationis inhærentæ forma statuat. Quæ universa videre licet confutata in nostro Tract. 4. circa Concilium Tridentinum Quæst. Theolog. 8. Vbi probatum extat, fidem ita esse à charitate separabilem, ut in se præcisè spectata non Formaliter, sed per modum dispositionis duntaxat remotæ; per charitatis autem actum, seu contritionem, nec non attritionem Sacramento junctam formata ad modum dispositionis proxime sit justificans.

Caterùm in nominibus Christo Domino attributis, ac dicto S. 2. recensitis aliquâ etiam notâ Ottius meretur perstringi. Vbi enim nomen Emmanuel, quod perinde sonat, ac Nobiscum Deus, asserit, à persona dici de Christo, id haud sano sensu accipitur de præcisa hujus persona, utpote unicâ Divinâ, eaque æternâ Verbi Incarnati, sed de hac quâ subsistente in naturâ humanâ, quam Hypostaticè terminando, incepit in tempore esse Nobiscum, eandem cum genere humano naturam unâ cum Divinitate in Vnitate Hypostasis absque ulla naturarû inter se commixtione assumendo. Nec porro quod Ottius asseverat, Christû à Naturâ Divinâ dici Filium Dei, adeò nudè acceptum benè sonat, cum Tô Filius Dei sonet Hypostasin ita subsistentem in naturâ divinâ, ut ex vi suæ propriæ processionis, nempe Generationis, ut sic à Spiritûs sancti processione specialiter differentis, Formaliter non in primo duntaxat, sed etiam quarto Perseitatibus genere procedat in ejusdem naturæ Divinæ similitudinem, seu consubstantialitatem, cum è diverso Spiritûs sanctus procedens ut amor Divinus, à Deitatis substantia realiter indistinctus, ex vi suæ Processionis in primo, non quarto per-

to perferitatis genere Formaliter sic procedens, quâ Patri, Filiisque consubstantialis. Nec denique nomina Christus & Iesus Ottius ritè asferit, à munere duntaxat denominata. Nam vox Tô Christus perinde sonans ac unctus, non *accidentariam* quandam, sed *substantialem* Vnctionem in Hypostasi Divini Verbi, ejusque Deitate ceu substantificâ sanctitate, humanam Christi naturam sibi *personaliter* unitam ungente seu sacrate, consistentem denotat, unde Tô Christus & Divinitatem & Humanitatem, ceu duas distinctas naturas illam ungentem, hanc unctam, quâ in una æterni Verbi Persona subsistentes importans, non *muneris* duntaxat, sed *substantiæ* nomen est; quæ tamen secundum naturam duplex, in una Increata Filij Dei Hypostasi subsistens, atque adeò composita Christi substantia, eatenus in se radicatum habet munus Salvatoris, nomine Iesu importatum, ut hoc ipsum tamen nomen denotet etiam naturæ humanæ personam, seu individuum non qualecunque, sed tale, ut istud nomen Apostolus pronunciârit esse super omne nomen, in quo nempe oporteat flecti omne genu cœlestium, terrenorum & infernorum, quæ reverà Latreviticâ adorabilitatis dignitas nomini Iesu non aliter convenire potest, nisi quatenus humana natura, per quam Filius Dei descendens de cœlis, factus est mundi Salvator, Divinâ Verbi æterni Hypostasi *substantialiter* ac *personaliter* terminatur, ut proinde illud nomen ita sit muneris, ut simul sit etiam substantiæ, quâ individua, *Formaliter* & *Essentialiter* importantis, Humanitatem Divinâ Filij Dei Hypostasi suppositam.

J. II.

3. In Paragrapho tertio Ottius plura circa Sanctissimam Deiparam, ejusque cum Iosepho desponsationem elogia, & festivas tum Virginis ejusdem, tû sponsi ac parentum ipsius memorias perstringendo, haud obscure eò collimat, ut alicujus novitiæ superstitionis sub ijs latitantis umbram lectoris animo objiciat.

Verùm ad istam nebulam, quâ simpliciores mentes Nebulonis astutia turbat, abstergendam, sciscitor ex adversariâ parte, num à Divino Verbo, religiosâque cultûs divini norma alienum sit, festivâ, eâque publicâ cômémoratione recolere singulare beneficium divinitus impensum in commune præsertim Ecclesiæ bonum, animarumque salutē redundans? Id negare, uti cum principijs gratiarum erga Deum pro beneficijs in nos collatis actionem, Divinæque Munificentiæ, Omnipotentæ ac Bonitatis infinitæ recognitionem ac glorificationem exigentibus lumine naturæ notissimis, fidèque Divinâ *Rom. 1. & alibi* disertè traditâ magis exultis pugnat, sic perinde foret, atque damnare exempla sacris Litteris collaudata in Iuda Machabæo *Mach. lib. 1. cap. 4.* instituentem Encania ad memoriam Templi ab ipso restaurati, nec non in Esther Regina & Mardocheo *Esth. 9. v. 29. & 31.* ex communi Iudæorum suffragio pro perpetuo tempore instituentibus celebrem solemnitatem, quâ commemoraretur eorundem

Reding Appar. ad Annal. Eccles.

divinitus destinata liberatio à nece per Amanequitiam sibi instructa.

4. At cum de Virgine Deipara fuerit adimpletum juxta Divum Thomam *3. p. q. 27. a. 4.* illud propheticum Salomonis effatum, *Tota pulchra es, & macula non est in te.* Quæ Virginem Deiparam complectens Prophetiam tam ex indefinitâ omnia tempora ambientis locutionis natura, quàm ex negationis quamlibet maculam removens universalitate, uti omnimodam à peccato actuali puritatem importat; sic peccati etiam Originalis à prælecta Dei Matre exclusionem, ejusque adeò in primo conceptionis instanti sanctificationem designat, itaque Divinum illud de Muliere caput serpentis contritura vaticinium, in ea perfectum comprobatur. Si proinde templi idololatricâ abominatione contaminati instauratio & consecratio, Machabæis ex Divino instinctu digna visa fuit annuâ memoriâ, quidni solenni & anniversariâ festivitate liceat recolere illam humani generis in Virgine Deipara serpentis caput ex prima origine conterente instauracionem, totius peccati abominationem à vivo isthoc Dei Sanctuario removemtem? Quidni cum S. Augustino *serm. 18. de Sanctis.* cum summa spiritûs exultatione gaudere liceat in die illustrata natali tantæ Virginis, quæ est flos campi, de qua ortum est pretiolum liliunconvallium, per cujus partum mutatur natura Protoplastorum, deletur & culpa? Quidni Sanctissimæ in Dei Genitricem præordinatæ in templo præsentationem recolere fas sit? ubi in domo Dei plantata *ex S. Ioan. Damasceno lib. 4. cap. 5.* atque per spiritum saginata, instar olivæ frugiferæ virtutum omnium domicilium efficitur, ut quæ videlicet ab omni hujusce vitæ & carnis concupiscentia mentem abstraxisset, atque ita Virginem unâ cum corpore animam consecrasset, ut eam decebat, quæ Deum sinu suo exceptura erat?

Quidni Angelicæ Virginis in Spiritûs sancti sponsam destinatæ annunciationis memoriam solennem peragere licitum sit? dum sub ea prodierunt tam ingentes Divinæ sapientiæ adinventiones ac Omnipotentæ effectus prorsus incomprehensibiles, amorisque divini ineffabilia argumenta; ut Virgo à Spiritu sancto conciperet Altissimi Filium, Divinâ nempe & humanâ naturâ absque ulla sui inter se permixtione seu confusione in unâ Verbi æterni Hypostasi coeuntibus, Deo adeò homine facto non aliam ob causam, quàm ut homo peccato deperditus è diaboli servitute eriperetur, Divinæque Majestati reconciliaretur? Quidni fas sit, Mysteria ex Virginis Deiparæ Visitatione profecta rememorari; & exultare cum infante intra uterum exultante, ac terminis naturæ concussis, Iustitiæ solem, Filium Patris Vnigenitum carne indutum ex utero prædicante, universique effectorem formâ hominis susceptâ Redemptorem nostrum factum agnoscente, confessionèque nobis præeunte, dum etiam Spiritus sanctus Matrem eâ perfudit luce, quâ intra Virginea Mariæ claustra conspexit perfectè immensâ illa Divinâ benedictionis Mysteria, ex quibus omnes generationes ipsam deprædicaturæ ef-

ræ essent beatam, quæ propterea Dominum magnificans in Deo salutari suo exultabat? Quidni denique sacræ Religioni consentaneum sit, Deum collaudare in sanctissima Matris suæ non tam morte, quàm ad cœlum Assumptione. *ex S. Bernardo serm. 2. de Assumpt. B. Mariæ.* quæ supernorum gaudia civium sine dubio cumulavit augmentis, dum ejus & vocem audire, & videre faciem, & beatâ frui præsentia meruerunt, cujus salutationis vox & ipsos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viscera claudunt, Filio Dei ipsissimam Matrem suam suscipiente cum eo honore, quo tanta Mater digna fuit, & cum eâ gloriâ, quæ tantum decuit Filium? Ob has igitur festivas Virginis Deiparæ in Ecclesiâ Romanâ frequentari solitas celebritates tam impium est, nos vocari Mariolatras, quàm à verâ religione alienum foret, Prophetam Regem, Deum in Sanctis laudandum præcipientem de latria in Sanctos translata coarguere, quippe cum omnimodus, qui sub ijs festivitatibus peragitur, cultus Latrepticus in solum Deum referatur, Sanctis, Virginique Deiparæ cultu quodam longè inferiori exhibitio, Dulciæ voce insignito, sub quo continetur etiam Hyperdulia Sanctissimæ Dei Genitricis tribui solita ob sublimiorem tum Maternitatis Divinæ, tum Sanctitatis excellentioris præ reliquis Sanctis prærogativam. Quæ profectò cultuum sacrorum differentia haud obscure eruitur ex Divi Augustini *super Exodum q. 94.* sententia sic se habente: *Vnde intelligitur, quia & Dulcia debetur Deo tanquam Domino, Latria verò non nisi Deo tanquam Deo.* Hinc namque ita licet argumentari. Quemadmodum formalis ratio Deitatis, sive Essentia Divina ut sic nulli creaturæ, sed solis Personis Divinis est communicabilis, sic cultus, qui debetur Deo, ut sic Deo, non potest tribui creaturis intellectualibus. At cultus Latriæ secundum Divum Augustinum ita debetur soli Deo ac Personis Divinis, ut consequenter nomen *Latria* de more Ecclesiæ antiquæ non soleret applicari ad significandum cultum creaturis intellectualibus deferri solitum. Econtra quemadmodum ratio Dominij, aliarumque divinarum perfectionum Deo absolutè inexistentium participativa & analogica, ex Deo efficienter procedens, in eumque finaliter referibilis, communicatio competere potest creaturis præsertim intellectualibus, sic cultus, qui debetur Deo ratione Dominij, aliarumque Divinarum perfectionum, creaturis analogicè communicabilis, potest in gradu quidem inferiori, non absolutè, uti Deo, sed participativè competere creaturis intellectualibus. At secundum Divum Augustinum cultus Dulciæ debetur Deo tanquam Domino, ejusmodi verò Dominij, aliarumque Divinarum perfectionum, veluti Sanctitatis, Iustitiæ &c. ratio est secundum analogicam participationem communicabilis creaturæ intellectuali. Ergo Dulciæ cultus non quidem in illo sublimi, quo Deo proprius est, sed inferiori & participato gradu eatenus competere potest creaturis, ut consequenter Ecclesiâ ad discernendum cultum soli Deo proprium, & creaturis intellectualibus Sanctitate, Iustitiâ & gloriâ cœlesti præ-

fulgentibus analogicè communicabilem, huic nomen Dulciæ, illi verò nomen Latriæ eodem jure appropriarit, quo olim nomen *Homousios* & *Tò Consubstantialitas* adinvenit ad explicandam veritatem Orthodoxam, ac evitandum Arianisimum.

S. III.

Ex quibus dilucidum redditur, ex æqua Religionis ratione teneri festa Sanctorum quoque Iosephi, Dei Genitricis Sponsi, nec non Ioachim & Annæ ejusdem Deiparæ Parentum. Ipse namque Ottius *S. 3.* Divinæ providentiæ in Iosephi cum Maria desponsatione argumenta peculiariter recenset, ut nimirum Christus Tutorem, Custodem, & Nutritium, Maria autè ductorem, & socium fugæ haberent: ut consuleretur etiam famæ & vitæ Beatissimæ Virginis: denique ut genealogia Mariæ non per patrem, quod à Luca præstitum, sed etiam per sponsum, quod factum à Matthæo, deduci posset. Quidni igitur sacræ Religions oculos in Deum universi boni omnipotentissimum ac providentissimum principium reflectendo, meritò recolamus festivam memoriam S. Iosephi, qui *ex S. Bernardo Homil. 2. super Missus est prope finem.* Dominam suam Domini sui Matrem Virginem agnoscens, & ipse continens fideliter custodivit: qui dignus erat fieri conscius, atque particeps cœlestium Sacramentorum, qui panem è cœlo servandum accepit tam sibi quàm toti mundo: qui tam bonus & justus est repertus, ut ei desponsaretur Mater Salvatoris: qui denique à Domino constitutus est suæ Matris solatium, suæ carnis nutritus, solus denique in terris magni consilij Coadjutor fidelissimus? Quidni pari festivitate rememorari æquum, sit Beatos Ioachim & Annam *ex S. Ioan. Damasc. orat. 1. de Virg. Mariæ Nativit. circa princ.* quibus omnis creatura obstricta est, eò quòd per ipsos Donum omnium Donorum præstantissimum fuerit oblatum, nempe Casta Mater, quæ sola Creatore digna erat, qui quæ, ut Deo gratum erat ac dignum Dei genitrice, quæ ab ipsis orta est, vitæ suæ rationes instituendo, castè ac sanctè munere suo functi, Virginitatis thesaurum prodixerunt? Cur enim cum S. Ioanne Damasceno *Orat. 2. de Nativit. Beatæ Mariæ prope finem.* non deprædicemus beatos ac ter beatos, qui beatitudine donatam à Deo infantem, hoc est, Mariam, nomine quoque ipso magnoperè venerandam pepererunt, ex qua Christus vitæ flos extitit, cujus Virginis & gloriosus fuit ortus, & partus mundo sublimior?

S. IV.

Sed redeundo ad Virginem Deiparam mirandum profus est, quid Otio occurrat perstringendum in eo, quòd Sixtus IV. *in Decreto de festo Conceptionis Mariæ,* Mariam vocet *viam misericordiæ,* per quam nempe Salvator mundi, in quo misericordia obviavit veritati, ingressus est mundum; *Matrem gratiæ,* quæ scilicet ipsum gratiæ fontem genuit; *Pietatis amicam,* quæ nimirum ab æterni Patris nuntio salutata est gratiâ plena; *Humani generis consolatricem,* quæ mundo deperdito protulit Redemp-

Redemptorem? Num in postrema ejus sententiæ parte, quâ Virgo Maria dicitur *pro salute fidelium, qui delictorum onere gravantur, sedula oratrix*, Spiritus Heterodoxus invenit, quod cavilletur? Num verò iste genius insultare ausit Divino Spiritui per Zachariæ prophetiam *Zach. 1.* exhibenti Angelum ita orantem: *Domine Exercituum usquequo tu non misereberis Ierusalem & Iudæ: nec non per Ieremiam Prophetam cap. 15.* producenti Moysen & Samuelem pro fideli populo orare potentes? An igitur Virginem Deiparam istâ tum Angelis, è quibus Ioannes in sua Apocalypsi *Apocal. cap. 8. v. 4.* vidit unum de orationibus Sanctorum incensâ offerentē Deo, tum Sanctis extra terram jam constitutis communi *v. 3. & 4.* descriptâ prærogativâ privari æquum videtur? Vnde à sanctâ Religione haud dissonum simul comprobatur, quòd Sigebertus refert à Sergio Papa sancitum, ut Litanie à S. Hadriano institutæ quotannis dicantur per urbem die Annunciationis, Purificationis, Nativitatis, & Assumptionis Mariæ. Cur porro à pietate alienum sit elogium Stephani Episcopi Patracensis in Concilio Laterano sub Leone X. vocitantis Mariam *Angelorum Dominam*, non absolutè quidem, sed ex Christi Domini participatione, *Fontem omnium gratiarum*, non *Primarium ac immediatum*, sed Christo Domino subordinatum, *quæ omnes hæreses interimat non Authoritative, sed instrumentarie*, cum subordinatione ad Christum; *quæ sola Virgo dominetur castris non absolutâ potestate, sed suâ intercessione Divinæ providentiæ subiectâ, quæ sola terræ, marisque, atque cæli lumen existat, non simpliciter, sed comparatè ad reliquos Sanctos, quos in lumine gloriæ ita præcellit, ut gratiæ, quâ plenam pronuntiavit Divinum Oraculum, irradiatio in terram, mare, cælumque diffundatur.*

§. V.

7. Ejus apud Deum Divæ Virginis intercessionis efficaciam, miracula inde secuta in sanatis cæcis, claudis, obsessis, epilepticis, herniosis, hydropicis, amentibus, mutis, paralyticis, in vitam revocatis defunctis, servatis à periculo naufragis, parturientibus, peste correptis, prole donatis sterilibus effectum Divinorum dilucida argumenta ex Canisio, Tursellino, Weissio, Lipsio, Gumpelbergio per Ottium insinuata, ne minimo quidem rationis indicio per eundem labefactata, magno numero, & momento maximo demonstrant. Par Divinæ circa Virginis Deiparæ in Ecclesiæ necessitatibus, pijsque fidelium intentionibus invocationem, ejusque intercessionem præpotentem comprobationis testimonium exhibent festa Mariæ ad Nives, & S. Mariæ de Victoria. Quis adeò nisi sinceræ Religionis desertor improbet Divinorum ejusmodi effectuum religiosam, eamque festivam commemorationem, veteris etiam sacræ Paginæ exemplis probatam, in Virginem Deiparam *Secundariò* ceu advocatam & oratricem sub longè inferiori Hyperdulie cultu, in Deum *Primariò* ceu *principalem* causam, sub supremo Latriæ cultu relatam? Quis insuper sanæ Religionis homo improbet res

etiam inanimatas, quibus ad Omnipotentie suæ Divinos ac miraculosos effectus ceu instrumentis Deus uti voluit, cultu in ipsis haudquaquam terminato, sed in ipsum Deum *ultimatè* ordinato excolere, exemplo Moysis *Exod. 3. v. 5.* non nisi detractis calceis in reverentiæ religiosæ signum ad terram Angelicâ operatione sacratam accedere jussi; exemplo Regij Prophetæ *Psal. 131. v. 7.* adorationem & incurvationem in loco, ubi Dei stetere pedes, imperantis, eo etiam argumento, quia *sanctum est*; exemplo sacerdotum antiqui fœderis ob religiosam reverentiam interdictionum ab ingressu templi, ubi Majestas Dei id impleverat? Et hinc in *Psalmo 98.* ubi Vulgata habet *adorate scabellum pedum ejus*; Hebræa legit *adorate ad scabellum*, ut inde elucescat, Arcæ ceu Divinorum pedum scabelli adorationem, seu coram isto incurvationem in Deum ceu *Primarium* objectum esse relatam, Arcæ autem tanquam termino duntaxat *Instrumentario ac Respectivo* exhibitam fuisse. Quo adeò firmo fidei fundamento nititur etiam cultus vestium Sancti è vivis sublatis, vel corporis ejusdem in terris relictarum partium, aut sepulchri veneratio, haudquaquam sistens in rebus hujusmodi inanimatis, sed in Sanctos per reverentiam duntaxat Dulie, in ipsum autem Deum *ultimatè* Latrevtico cultu ordinata, cui ipsemet Deus comprobationis suæ miraculosa perhibuit testimonia *Matthæi cap. 9. v. 21.* in Hæmorrhoidis salutem redditâ, ubi retro accedens, simbriam vestimenti Christi attingens intra se dixerat: *Si tetigero tantum simbriam vestimenti ejus, salva ero.* Nec non in Petri umbrâ *Actuum 5. v. 15.* sanante infirmos, quoscumque obumbrasset. Ac in Pauli *Act. cap. 19. v. 11.* sudario, & semicinctijs languores & spiritus nequam expellentibus ab ijs, super quos deferebantur: aperto sanè argumento, Deum Miraculis quoque probasse populi devotionem, ita delatam umbræ & sudarijs Apostolorum, ut referretur in ipsos Apostolos secundum Dulie speciem, secundum *ultimatam* verò Latrevtici cultus intentionem in Deum, ceu effectuum illorum Divinorum *Causam principalem.*

§. VI.

8. Ex præactis divinæ contestationis argumentis, inconcussa fidei petrâ stabilitæ, jam extant religiosæ ad loca sacra peregrinationes, ulterius firmandæ sequentibus sacrarum Litterarum sustentaculis. Tum quia *Deuter. cap. 16.* Deus instituit, ut omnes filij Israel ter in anno peregrinarentur ad tabernaculum, seu templum Domini. Quod equidem præceptum studiosè servabant Elcana, & Anna uxor ejus *1. Reg. 1.* nec non Christus ipse cum Matre sua & Ioseph *Luca 2.* Eynuchus quoque Æthiops è longinquâ regione veniebat adorare in Ierusalem. *Act. 8.* Tum quia *2. Paral. 6. v. 36.* orabat Salomon, ut Deus in templo sibi consecrato exaudiret quoque peregrinum & externum, qui non esset de populo Israel. Cui rationi Deus respondit indefinitè, quòd *aures suæ essent erectæ ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit &c. cum elegerit & sanctificaverit locum istum, ut nomen suum ibi sit in sempiternum.* Tum

quia licet isthæc obtigerint in Testamento Antiquo, dum Messias venturus habitabat in templo Hierosolymitano per typum & figuras: nihilominus sub Novi etiam Testamenti lege, Christo Domino jam sedente ad dexteram Patris, locum habent; sicuti enim in templo veteri habitabat Christus per typum, ita multo magis modo habitat in hoc vel illo loco, per instrumenta suæ passionis, aliâque monumenta nostræ redemptionis, veluti quædam victoriæ trophæa: ratione quorum adeo monumentorum hodiè que accidit, ut unus locus sit alio sacrator. Tum denique quia *Act. 5.* legitur, non solos Hierosolymitas, sed & plurimos alios ex vicinis civitatibus properasse cum ægrotis & obsessis ad umbram S. Petri, ut eâ tacti sanarentur. Et *Act. 17.* sudaria cum corpus Pauli tetigissent, & languidis imposita fuissent, languores curabant, & pravos dæmones abigebant. A fortiori igitur licet accedere sepulchrum Christi, limina Apostolorum, & tumbas SS. Martyrum, aliâque divinæ operationis miraculosis effectibus divinitus comprobata sacra loca, utibi animarum, corporumque salutem fidelium orationibus, sanctorumque Cœlitum, Virginis præsertim intercessionibus consequantur.

9. Quibus Divinis autoritatibus accedit insuper ratio, ex præadductis antiqui fœderis textibus deducta. Hinc enim evincitur, in antiquo saltem testamento fuisse loca præ alijs sacratoria, ad quæ Deo fuerint acceptæ, imò præceptæ sacræ ac religiosæ peregrinationes. At in præceptis Antiqui Testamenti distinguendum est id, quod est Cæremoniale, & quod est Morale, ita ut lex illa quoad Cæremonialia sit quidem abrogata, vigeat tamen quoad Moralia secundum substantiam saltem spectata. Cujus apertum argumentum præbet Decalogus, in Mosaicâ quidem lege tabulis lapideis conscriptus, ac Moyse Divinitus traditus, hodiè que tamen quoad substantiam, non tamen quoad diei Sabbati circumstantiam in lege Evangelicâ (uti Tigurinus quoque Catechismus fatetur) observatu necessarius. Sicuti ergo servatâ substantiâ Decalogi, & diei Sabbati ad observantias Cæremoniales legis Mosaicæ proprias spectante abrogatâ, licuit diem Dominicum in hujus locum substituire, etiamsi nullum de hoc in sacris Litteris ostendi possit mandatum, sic in peregrinationibus religiosis sub Antiquo Testamento præceptis, distinguere oportet tum substantiam moralis virtutis, nempe Religionis, tum circumstantiam Cæremonialis, quâ propriam Antiqui Testamenti significationem præferentis observantiæ, ut sic nimirum Christum venturum præfigurantis. Quemadmodum proinde in Novo & Antiquo Testamento eadem essentialiter viget Religionis virtus, sic peregrinationes religiosæ, quatenus virtutis Religionis Novo & Antiquo Testamento communis rationem specificativam induunt, quoad substantiam legi Christi minimè repugnant, imò huic vel maximè concordant.

10. Quam enim Neoterici confingunt à novi fœderis religione alienam absurditatem, quòd cultus Dei certis locis tanquam sacratoribus adstringatur, id mox evanesceat, rem ex lim-

pidis puræ Theologiæ rationibus ponderanti. Etenim Deus in uno loco tanquam sacratori præ alijs colitur, quatenus suâ virtuali præsentia ibi specialiter existit, secundum speciales gratiæ effectus in, vel ex unâ certâ re seu loco, secundum Divinam Providentiam peculiariter collatos & conferendos. At minimè pugnat cum Novo Testamento, quòd Deus seu Christus in cœlo ad thronum suæ magnificentiæ confidens in, vel ex unâ certâ re seu loco speciales gratiarum suarum effectus, tum in corporibus, tum in animabus fidelium, secundum peculiarem Divinæ suæ Providentiæ rationem, operetur. Minor ista probatur. Tū quia hoc ipsum patet ex *Act. 5. & 19.* ubi legitur ex umbra Petri, & sudarijs Pauli per virtutem Dei & Christi ad Patris dexteram sedentis, dæmones fuisse ejectos, ac ægros sanatos. Tū quia ex contactu corporis Elisæi legitur *4. Reg. 13.* resuscitatus mortuus. Quod miraculum vel *Instrumentariè* quidem ex hujus Prophetæ corpore, *principaliter* autem ex Dei virtute illi specialiter assistente, patratum est. Ex quo adeo posteriori patet, non esse contra majestatis Divinæ, suâ immensitate omnia continentis & ambientis rationem, ut uni rei corporali præ alterâ *virtualiter* sit præsens per Divinæ suæ virtutis assistentiam. Ex prioribus autem exemplis apertè liquet, neque Christi Domini ad dexteram Patris sedentis magnificentiæ, neque Novi adeo Testamenti rationi ac legi adversari, quòd Christus Dominus suâ virtute, quam secundum gratiæ & operationis suæ effectus jugiter exerit interta, uni rei corporali specialem respectum ad Sanctum aliquem habenti, præ alijs rebus assistat.

S. VII.

Nec est à Religionis sinceræ ratione alienum, quòd in statuis ad Deiparæ, aliorumque Sanctorum memoriam erectis, vel in ipsorum imaginibus honorentur Sancti cultu haud in ipsisistente, sed ad Prototypon eatenus transeunte, ut Latrevtica adoratio, non nisi in Deum, Dulevtica verò veneratio in Sanctos, seu Dei amicos, mediantibus illis Rationi in rem ab ipsis repræsentatâ inducendæ perquam accommodatis *instrumentarijs* rememorationibus, dirigatur. Numquid enim illi tres viri Abrahæ *Gen. 19. v. 2. Exodi 3. Iosue 5. v. 15. Daniel. 10. v. 6.* apparentes, nisi sacrosanctam in Deitatis unitate subsistentem Trinitatem repræsentassent, ex sancta fide ac pura religione adorari valuissent? At istæ uti aliæ quoque sanctis Patriarchis antiquitus factæ, Dei vel Angelorum apparitiones non fiebant nisi sub figuris corporalibus: sub cujusmodi adeo figuris sancti viri in antiquo etiam Testamento, approbante id sacrâ Scripturâ, vel Deum adorabant Latrevticè, vel Angelos inferiori Dulix cultu honorabant. Unde liquet, sub figurativis imaginibus, corporalibusque speciebus tum Latrevticam Dei adorationem, tum sanctorum Cœlitum, sub inferiori Dulix cultu venerationem in antiquo etiam Testamento à viris sanctis taliter fuisse factam, ut sacra Scriptura eam omnino probet, & in exemplum proponat. Quæ profecto adoratio cum processerit ex vera fide ac virtute religionis, neque sub figuratis ejusmodi

11.

modi repræsentationibus figura cum fœdere antiquo connexa, atque per hujus abrogationem exoleta fuerit exhibita, sed myſteria fidei abſolutè & immobiliter pro Evangelicæ quoque legis ſtatu ſubſiſtentiâ, nempe Eſſentiæ in Deo unitas ac perſonarum Trinitas adoranda, nec non Angelorū divinitus deſtinatæ dotes in ſe ipſis, ſub cultu tamen per ſuam naturam in Deum reflexo venerandæ, ſint repræſentatæ, idcirco iſs adorandi modus ita ſpectat ad *moralia*, ut conſequenter teneat in nova etiam Chriſti Evangelicæ lege, ſiquidem in hac vigeant adhuc legis antiquæ *Moralia* præcepta, ut clarè patet ex Decalogo ab ipſiſmet etiam Reformatiſ recepto: de quo alibi ex inſtituto agendi locus erit. Interea quid cavillationi obnoxium occurrit ex Roſarijs, in quibus aliud non extat niſi orationis Dominicæ, Angelicæque ad Virginem Deiparam divinitus ſancitæ Salutationiſ recitatio unâ cum Incarnationiſ, Paſſioniſ ac Reſurrectioniſ Chriſti Myſteriorum, ac in cœlum aſſumptæ Dei Matriſ gloriæ rememorativâ piâ ac religioſâ coordinatione? Quid in Fraternalitatibus cenſurâ dignum, cum aliud non ſint, quam mutua ſacrarum precum, operumque piorum diviniſ oraculiſ comprobata communio? cui gratis abſque ullo ſinceræ veritatiſ fundamento aſſingi ſuperſtitioniſ labem, conſtabit ex paſſim dicendiſ.

§. VIII.

12. Sed novitiâ illarum Virginis Deiparæ, Sanctorumque feſtivitatem, nec non Divoſ colendi rituum inſtitutionem, quinimò Collyridianorum hæreſin hîc Pontificiſ obtrudit Ottiſ. At in priori exprobratione oportet, eaſ ſacraſ inſtitutioneſ non tam *Materialiter*, quam *Formaliter* conſiderare, prout continent repræſentationem diviniæ excellentiæ tum in ſe ipſâ, tum in Sanctiſ ſuiſ laudandæ & adorandæ proteſtaticem unâ cum ſanctitatiſ, gratiarumque in Sanctoſ collatarum tali veneratione, ut hæc quâ in Sanctoſ relata, inferioriſ Dulevitiſ, quâ verò in Deum terminata, ſupremi Latreutiſ cultûſ rationem ſubeat. In poſteriori, eaque iniquiſſima impoſtura Ottiſ redarguitur ex Divo Epiphaniſ *hæreſ. 79.* Collyridianorum hæreſin eâ in parte damnantem, & confutantem, quòd tum imagines adorandas, Virginemque Deiparam cultu Dei proprio afficiendam ſtauiſſent, cum tamen ibi ſanctus ille Doctor Sanctiſſimam hanc Dei Matrem honorandam decernat, neque imagines, ceu *instrumentarias* in prototypi cultum ducentes repræſentationeſ, tali honore dignaſ neget, qui tranſeat vel in Deum unicè adorandum, vel etiam in Sanctoſ haudquaquam adorandos, ſed ſanctitatiſ divinitus participatæ doniſ proportionato Dulix cultu venerandos: ut adeò ea Ottiſ impoſtura ex ipſomet Epiphaniſ efficaciffimè arceatur ab Orthodoxiſ ſacræ Romanæ Eccleſiæ fidelibuſ. Sed quid porro Virginis Deiparæ ab omni peccati labe prorfus depurata ſanctitatiſ derogare valet Wheloci de Anglo, ſaxonice Eccleſiæ ſoli Salvatori à conceptioniſ ſuæ primâ origine à peccato im-

munitate adſcribentiſ fide atteſtatio: hoc enim & nos univerſi Eccleſiæ Romanæ fideleſ hodièque profitemur, nullum, excepto Salvatore, peccati *ab intrinſeco* expertem ex fide agnoſci: cum licet Virginis Deiparæ à peccato actuali immunitaſ jam extet ſancita, & ab originali peccato puritaſ firmiſ comprobetur ex divini etiam oraculi authoritate veriſſimilibuſ, necdum tamen in hunc ſenſum ab Eccleſia deſinitiſ argumentiſ, nihilominuſ univerſa hæc prærogativa ita ſit per gratiam, ut iſta non æquè ac in Chriſto (cujus humanitaſ per Hypoſtaſin Incarnati Verbi ſubſtancialiter ſibi unitam ſanctificata, gratiæ ac veritatiſ plenitudinem, ac omnimodam impeccabilitatem habet in ſe radicata, & ex illa perſonali ſanctitate connaturaliter debita) ſit *ab intrinſeco*, ſed ex Dei favore *extrinſeco*, eam in filij ſui matrè deligendo, gratiæ plenitudine ita condecorantiſ, ut nullum omnino peccatum admitteret, in ipſa etiam Conceptioniſ ſuæ origine ab univerſali generiſ humani maculâ per Chriſti merita, & gratiam ex hiſce divinitus paratam exempta? Quid denique ex hoc intendit Ottiſ inferre, quòd Angloſaxoneſ confeſſi ſint, Mariam, & reliquos Beatoſ generaliter ſaltem pro Eccleſia Militante, & per ſola Chriſti merita intercedere? Num iſta vox *generaliter* ſaltem excludit, vel potiùſ *implicitè* includit particularem etiam pro Eccleſiæ ſanctæ fidelibuſ interceſſionem, quæ equidem *principaliter* nititur ſoliſ Chriſti meritiſ, admittit tamen talem erga hæc ſubordinationem, ut ex iſtiſ non ſolum profluxerint, ſed in ſuo valore, ſuique per Deum acceptatione ex iſſdem fuerint pendentia, neque quidquam pro aliſ impetratoriſ valoriſ obtinere queant, niſi *dependentè* ab illiſ? Et hinc neque Mariæ, ſed ſoli Chriſto omnem ſalutem ex aſſe & ſolido nos etiam adſcribimus, dum quidquid in Sanctorum meritiſ ad ſalutem tum propriam promerendam, tum aliſ impetrandam eſt efficaciâ, id totum ſubſiſtit per Chriſti meritum. En igitur, quàm frivole Ottiſ conetur univerſaliſ Eccleſiæ ab antiquiſ etiam Patribuſ ſtabilitam de Sanctorum imaginum, Reliquiarumque Sanctarum veneratione fidem labefactare, inſectando umbram ex Angloſaxonum à ſuâ tamen Pſeudoreformatione remotiſſimorum doctrinâ imaginariè ſibi obſectam.

§. IX.

13. Quam Ioanniſ Baptiſtæ annunciationem Ottiſ vix attingit, Theologicis indagatiſ ſtipatam fuſiùſ pro meritiſ proſecutus eſt Baroniuſ. In Angelicâ porro Virginis in Dei Genitricem divinitus cooptatæ Annunciatione Ottiſ de turpi Angelicæ ſalutationiſ abuſu, & in ſenſum prorfus alienum contortâ verſione noſ coarguit, quòd vocem, *Tò Kecharitomeni*, perinde ſonantem, ac vocem *gratiâ affecta*, reddamus per *gratiâ plenam*, ſeu *gratioſam*, vel *gratiam factam*. Luc. 1. v. 30. & 42.

Verum Græca vox *Kecharitomeni* reſpondet Hebraico vocabulo, quòd propriè idem eſt, ac gratificata, gratiâ repleta, gratioſa facta,

facta, *Charitico* enim idem est, quod *gratiosum facio*, gratum, charum reddo, gratiâ impleo, Deus enim nihil gratum iudicat, nisi quod in se re verâ gratum est, imò implendo gratiâ suâ efficit gratum, quare *Kecharitomeni* vertitur gratiâ plena non à vulgato nostrate duntaxat sacro textu, sed à Syro, Arabico, Æthiopico, Persico; item à Sanctis Ambrosio, Beda, Augustino *Enchir. cap. 36.* Hieronymo *Epist. ad Principium.* & alijs passim. Neque Baronius Anno 431. (S. 179.) fingit, sed ex probabili ratione pronuntiat, additamentum: *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis*, salutationi Angelicæ in Concilio Ephesino accessisse: Si enim Sancto Augustino *Lib. 5. de Baptis. cap. 23. & lib. 4. cap. 24. de Baptis. contra Donatistas.* id, cujus exordium incognitum, ab universâ tamen Ecclesiâ retentum habetur, ab Apostolis institutum credere fas est, cur non illud additamentum, cujus initium haud noscitur, omnium tamē fidelium ore ab antiquissimo tempore dici solitum fuit, non liceret in eam præsertim sacram Synodum reducere, ex qua post Deitatem in Christo, & maternitatis divinæ prærogativam in ejus Virgineâ Matre vindicatam, Virgo hæc Deipara ferventiùs prædicari, laudari, & omnium ore invocari consuevit? Dum enim isthæc invocatio in Ecclesia Dei semper retenta, ex illo Augustiniano effato in Apostolicam auctoritatem meritò refertur, quare istius invocationis modus non adscribatur Sacræ Ephesinæ Synodo Deiparæ venerationis ac implorationis incrementum præcipuè promoventi? Neque Rosarij institutio aliud complectitur, quàm quindecim decades Salutationum Angelicarum, quindecim orationibus Dominicis adjunctarum & accommodatarum ad contemplanda quindecim mysteria redemptionis nostræ, scilicet Incarnationem Verbi, Visitationem Elisabethæ, Nativitatem Iesu, oblationem ipsius, & doctrinam duodennis; tum deinde orationem ejus in horto, flagra ad columnam, diadema spinosum, crucem impositam, eandemque & mortem pro generis humani salute ipsi illi illatam: ad extremum resurrectionem ejus à morte, ascensionem super cælos, missionem Paraleti, Assumptionem Deiparæ, ejusque gloriâ, felicitatē, atque potestatē, quæ eminent universis. Vbi verò Salutationis Angelicæ series universa, usque ad illud Virginis Deiparæ implorari solitæ additamentum, profuxit ex Spiritu sancto sub Annunciatione & Visitatione ejus sanctissimæ Matris, ubi Incarnationis Divinæ, Christi Passionis ac Resurrectionis, gloriosæque Mariæ in cælum Assumptionis ac felicitatis æternæ mysteriorum contemplatio in ipsissimis Dei Oraculis fundatur, fidelesque ad eam à spiritu divino per sacram Scripturam concitantur, quæ veritati consonum est, ne primo quidem millenario Rosarium non jam in *materiali* suo ordine, sed in *Formali* ejus ratione, ceu ipsius *essentiali* substantiâ, & quasi anima spectatum extitisse in rerum naturâ? Quoad illam *accidentariam*, substantiæ tamen hujusmodi peragenda apprimè conveniente, ac pro mysterijs præactis repræsentandis bene co-

ordinatam methodum Bzovius locis ab Otio citatis, haud equidem disertis saltem verbis effatus est, quod ab isto Pseudoreformati Ministerij Præcone eidem imponitur, quanquam, ubi ipsissima illa Salutationis Angelicæ, Orationisque Dominicæ sub mysteriorum Domini rememoratione frequentatio quoad substantiam & essentiam est in ipsissimis fidei principijs fundata, atque ad eò omni ævo antiquior, nihil referret, tamen methodus ac ordo in ijs recitandis consuetus esset posterior.

Quando autem antiquiores ordines vel in Baptisimi Patrinis, vel reliquis fidelibus exigebant peritiam Symboli Apostolici, ac Orationis Dominicæ; num idcirco exclusa credi debet notitia Decalogi, vel hanc priori sanctionis genere non comprehensam, non licuit alio statuto complecti? Cur ergo nefas sit, non tam ex vi alicujus præcepti constringere fideles ad salutationem Angelicam, quàm sub decenti salutis mysteriorum recollectione illius frequentationem docere, ad eamque cohortari ac incitare Christi fideles?

S. X.

Quemadmodum verò ex eo, quod Christus sit conceptus à Spiritu sancto, neque infertur genus ex Spiritûs sancti substantiâ, tanquam principio *Materiali*, non autem purè *Effectivo* ac *Finalizativo*, nec non *Formali*, *Ideali*, & *Exemplativo*, & ideo nefas foret, Spiritum Sanctum dicere Patrem Christi. Neque inde conficitur, Christum suam carnem attulisse è cælo, & per Virginis uterum uti per canalem quendam traduxisse; sed cum ex Virgine natum clament divina Oracula, non aliunde, quàm ex hujus purissimo sanguine oportet carnem ipsius acceptam. Sic fidei principijs ac sanæ Theologiæ non consonat Ottius, *simpliciter & absolute* negans, per Spiritum sanctum, dum de ipso affirmatur conceptus Christus, intelligi ejus substantiam, sed divinam ejus operationem, virtutem & potentiam. Vbi enim Christus processit ex Spiritûs sancti operatione divinâ non eâ duntaxat, quæ *Formaliter* transiens, extra ipsius substantiam est posita, sed ex ipsissimâ illâ dictione, *Decretòque* divino, ejus, quod effatur ac præordinat, *infallibiliter effectivo*, ceu actione Deo *Formaliter* inmanente, *realem* cum divinâ Spiritûs sancti substantiâ identitatem habente, idcirco nequit intelligi Christus profuxisse ex divinâ Spiritûs sancti operatione, quin ex ejus substantiâ non quâ *materiali*, sed *effectivo* influxu prodierit. Et verò cum virtus & potentia Spiritûs sancti non possit non esse ipsissima divina substantia, nisi hanc non jam purissimum actum, sed formis accidentarijs actuabilem nefandissimè dixeris, quæ ratione fas est, à Christi *Effectivo* principio excludere Spiritûs sancti substantiam, maximè cum hanc à Patre & Filio habeat Spiritus sanctus sibi communicatam ex vi Processionis, non in primo duntaxat, sed etiam *Quarto Perseitatis genere Formaliter* pretendentis ad communicandum amorem, ex divinæ Essentiæ substantiâ in utroque illo *Perseitatis genere formalissimè* specificatum,

tum, ex quo prodijt Filij Dei incarnatio, humanique generis redemptio, ut hanc etiam ob causam, secundum appropriationem, in ipsissima Spiritus sancti personali proprietate radicatum, sub speciali mysteriosa ratione dicatur, Christus esse de Spiritu sancto.

S. XI.

16. Sed Ottij in Deiparam impia vox horrorem jam incutit, dum Mariam ab Angelo salutatam, & de Filij Dei conceptione pramonitam, asserit, dubitasse de eventus veritate, in eoque ex infirmitate humanam peccasse. Quis enim Angelus ex divino sibi injuncta legationis mandato, gratiam plenam cum veritate eam pronuntiasset, ubi hoc ipso denuntiationis sibi facta momento peccati rea esset effecta? Quis Dominus cum ea fuisset, qui, ut in peccatum incideret, ipsam deseruisset? Quis gratiam apud Deum invenisset, quam illo ipso momento, non tantam obtinisset gratiae efficaciam, quam praeservaretur a dubitatione pugnante cum fide ipsa gratiae radice? Eam igitur quaestionem, *Quomodo fiet istud*, non fecit B. Virgo propter dubitationem, sed propter materiae descriptionem pleniorum, propter veritatis majorem expressionem, propter opinionum exclusionem, & propter nostram aedificationem. *Albertus Mag. super Missus q. 224.* Et hinc disparet alterum quoque commentum Ottij, proterve asseverantis, *nos Pontificios necquidquam respondere, cum insigni commento legerimus, merito dubitasse Mariam, quia Caelibatum voverit Domino.*

17. Verum hanc dubitationem in impium impostorem rejectam, virginittatis a Deipara conceptu votum est comprobatum argumentis ex Baronio supra adductis, quae nullatenus tangit Ottij, frustra proinde adversus Baronium arrogans sibi perpetui Annalium Examinatoris titulum. Objicit autem hic Impostor, in usu non fuisse ejusmodi vota in veteri testamento, quin potius matrimonia commendata. Verum Epiphonio *Lib. 1. Panar. c. 16.* advertente, ex Pharisaeis in antiquo jam testamento erant, qui praescribebant decennium, aut octennium, aut quadriennium virginittatis & continentiae, ex ejusmodi alteriusque generis honestate, teste Iosepho *Antiq. lib. 18. cap. 2.* magnam sibi auctoritatem Pharisaei paraverunt apud populum, ut vel hinc eluceat, Virginittatem antiqui quoque testamenti fidelibus in pretio extitisse. Quidni vero Deiparae Virgini fas sit, tantam divinae lucis irradiationem negare, quam perspectum habuerit divinae legis *Deut. cap. 23. v. 21.* oraculum vota comprobantis, imo jubentis, ut cum voveris votu Domino, non tardes reddere? Quidni Virgo ad supremam maternittatis divinae apicem praelecta, divinae promissionis eynuchis sabbata custodientibus, foedusque Dei tenentibus de sempiterno nomine eis destinando facta, excellentiam non tantum penetrarit fidei lumine, sed insuper nomen hoc melius Deipara condignum virginittatis voto in semet firmare studuerit, memor adeo avi sui Prophetae Regij ad vovendum, Deoque reddendum cohortantis? Quae proin ratio fut, cur Virgo Sanctissima se virum non tan-

tum de praeterito, ac de praesenti, sed etiam de futuro non cognoscere, professa sit, impossibile profecto existimans, semel Deo devotam virginittate, se aliquando virum cognituram: alioquin cum post haec cognoscere potuisset, ac concipere, nulla fuisset in ea admirandi, vel sciscitandi levis saltem occasio, quin promissis ab Angelo acquiesceret.

Neque huic Virginittatis voto repugnans est, quod ex monumentis fide dignis profertur a Baronio in *Appar. S. 47. & 56.* de Maria trimula in templo praesentata, ibique educata, sacerdotumque tandem consilio desponsa Iosepho. Haec enim universa optime cohaerere, demonstrant, quae superius in Baronij summarie adducto *Apparatu S. 7.* ex Gregorio Nysseno, ac Epiphonio sunt allata, ex quibus liquidum constat, ex sacerdotum consilio, divino confirmante assensu, datum Ioseph Sponsum Virgini, non ad opus conjugij, sed potissimum ob Virginittatis custodiam.

Praeludium ad Annum Christi

Primum: ex Cardinale Baronio.

DE NATIVITATE CHRISTI.

PRIMUM Christi annum exorditur Baronius non a Natali Domini, sed ab ejus Circumcisione, cum enim non nisi ejus anni, quo Christus natus est, supersint sex dies usque ad Calendas Ianuarias, a quibus mos est Majorum, auspiciandi feliciter annum, idcirco Cardinalis hunc secutus morem, ea, quae sub Christi Domini Nativitate contingere, post praeconnatum Apparatum, quodam ad ejusdem primum annum Praeludio complectitur, cujus seriem in compendium redactam exponendo, huc etiam reducimus, quae de tempore Christi Domini Nati, in Apparatu dictus Cardinalis exaravit.

S. I.

Tempus Christi Nativittatis pandit Evangelista his verbis: *Factum est autem in diebus illis, exijt edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis: haec descriptio prima, facta est a Praeside Syriae Cyrino, & ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam civitatem. Ascendit autem & Ioseph a Galilaea de civitate Nazareth in Iudaeam, in civitatem David, quae erat Bethlehem, eo quod esset de domo & familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore pregnante.* Haec Lucas *cap. 2.* At quoniam etsi non interpretis, Historiographi certe fugimur munere; nostri esse putamus officij, ut haec ipsa multa perplexa nodis & obvoluta obscurittatibus enodemus, ac quantum vires suppetunt, elucidemus. Magna sane, urgensque est obiectio illa, quae ex Iosephi Iudaei historia exoritur, quam dicitur, descriptionem factam sub Quirino Praeside, non Herodis tempore, quo ponitur ab Evangelista, imo nec sub regno ejus filij Archelai, sed post illum exactum, novem saltem annis ab Herodis interitu contigisse. Mirati sumus vehementer Eusebium, ad confirmandam Evangelicam veritatem de censu acto sub Quirino, citasse dictum Augustorem,